

*Acta ex Vitis-Fratrum Ord. Praedicat. MSS. et Duaci editis, ... In Acta Sanctorum Volume 04:
Feb. II, , coll. 725-736. Antwerp: Society of Bollandists, 1658.*

ACTA
ex Vitis-Fratrum Ord. Prædicat.
MSS. & Duaci editis,
auctoritate Humberti V Generalis collectis,
& a Gerardo Fracheto conscriptis .

Feb. II, Dies 13, B. Iordanus, II Generalis Ord. Praedicatorum,

Acta ex Vitis-Fratrum Ord. Praedicat. MSS. et Duaci editis, ...

Iordanus, II Generalis Ord. Praedicatorum (B.)

[Col. 0724C] Ex Vitis Fratrvm MSS.

PROLOGVS HVMBERTI.

^a[1]

*Dilectis in dilecto Dei Filio Fratribus Prædicatoribus vniuersis, Frater Humbertus,
seruus eorum inutilis, salutem,*

[Col. 0724D] in patria & via salutaribus semper exercitijs occupari. Saluator mundi, cui cura
est ^b de salute omnium seculorum, Spiritu suo sancto misso in corda multorum, inspirauit eisdem,
vt quædam facta & dicta seruorum suorum Dei laude digna & aëdificatoria, in scriptis redigerent;

[Petentibus varijs.]

vt tanto per generationes venturas pluribus fierent in salutem, quanto efficacius ad posteros
eorum perpetuaretur memoria per scripturam. Sic Eusebius Ecclesiasticam historiam,

[Ex Vitis Fratrum MSS.]

Damascenus librum de Barlaam & Iosaphat, Cassianus Collationes Patrum, Gregorius dialogum, ^c Hieronymus, Beda, Florus, Odo, Vsuardus, diuersa martyrologia, Gregorius Turonensis, Petrus Cluniacensis, & alij quammulti, plurima opuscula de huiusmodi materia ediderunt. Sane multimoda Fratrum de diuersis nationibus relatione frequenter ad nos peruenit, quod multa contigerunt in Ordine & Ordinis occasione circumquaque per orbem in domibus Fratrum; quæ si scripto commendata fuissent, multum valere possent in perpetuum

[Col. 0724E] ad ^d consolationem Fratrum & spiritualem profectum. Sollicitauerunt nos insuper Fratres multi Deo deuoti, vt super huiusmodi scripto compilando curam aliquam apponere non pigeret, antequam obliuio, quæ iam plurima de cordibus Fratrum detulerat, omnia sepeliret. Super his!

[& constitutione in Capitulo generali facta,]

Igitur habita collatione cum Prioribus Prouincialibus in Capitulo generali, quod anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto fuit Parisius celebratum, de consilio eorum fuit Fratribus vniuersis mandatum, vt si quid dignum memoria de prædictis occurreret, illud nobis significare curarent. [2] Circa quod exequendum etsi multi de negligētia se non potuerunt excusare; quidam tamē nobis multa de huiusmodi conscripserunt. Nos autem huiusmodi scripta recepta, tradidimus carissimo nostro Fratri Geraldo Lemouicēsi, tunc Priori Prouinciali Prouinciae;

[aliunde submissa in librum redigit Geraldus Lemouicensis,]

de cuius industria in huiusmodi multam gerebamus fiduciam, rogantes & imponentes eidem, vt perfectis & examinatis singulis, de his, quæ laudabiliora reperiret, libellum aliquem ederet; quod & fecit, prout inferius continetur. Cum autem multis discretis Fratribus opus illud legentibus placuisset, & dignum approbatione iudicarent; nos tandem de approbatione multorum

[Col. 0724F] discretorum & bonorum Fratrum illud inter Fratres duximus publicandum. Nolumus tamen, quod extra Ordinem tradatur sine nostra speciali licentia. Vos ergo, carissimi, prædicta legentes, aduertite,

[approbat Humbertus.]

quanta cura fuerit Prouidentiæ supernæ de Ordine: & hoc attēdentes, cōfirmamini magis ac magis in ipsius amore. Consulimus autem & rogamus vt, qui negligentes in scribendo nobis de supradictis fuerint, negligentiam corrigant diligenter; illi vero, apud quos similia contingent in posterum, nobis vel Magstro, qui fuerit pro tempore, scribere non omittant, vt ad vtilitatem Ordinis vel post prædictum opus scribantur, vel in locis debitisi in ipso opere inserantur. ^e

[Annotata]

*End Note ^a Est hæc præfatio sub initium totius operis cum hac inscriptione : Epistola venerabilis Patris, Fratris Humberti, Magistri Ordinis Fratrum Prædicatorum, de libello qui dicitur (*in excuso intitulatur*) Vitas-Fratrum. In alio MS. hæc proponuntur: Incipit prologus in Vitas Fratrum Prædicatorum.*

End Note ^b In altero MS. desunt de salute.

*End Note ^c In MS. altero , Hieronymus, Florentius, Beda, Odo, *imo* Ado, Vsuardus: de quorum martyrologijs egimus in Præfatione generali ad Ianuarium cap. 4 § 4, 6, 7, 8.*

End Note ^d MS. collationem,

End Note ^e *Addebat diuisio libri* in 5 partes. Prima continet de pertinentibus ad inchoationem Ordinis. Secunda multa de B. Dominico, quæ in Legenda eius non habentur. Tertia de Magistro Iordanico, *quam hic edimus, de prioribus acturi 4 August. ad Vitam S. Dominici*. Quarta de

Page 725

[Col. 0725A] processu Fratrum. Quinta de egressu Fratrum de hoc mundo.

CAPITVLA TERTIÆ PARTIS DE B. IORDANO.

- 1 De munditia eius.
- 2 De misericordia eius, quam primo pauperi dabat.
- 3 De cingulo quod dedit, & in Crucifixo vidit.
- 4 De ingressu eius, & visione fontis.
- 5 De pietate eius ad pauperes, & ad Fratres.
- 6 De nouitio quem a tentatione per orationem liberauit.
- 7 De oratione, & modo orandi, & meditatione, & qualiter se habeat in via.
- 8 De pauperibus panibus datis, ac multiplicatis.
- 9 De fluxu sanguinis, eius oratione restricto.
- 10 De Sacerdote a quartana sanato.
- 11 De gratia prædicandi, quam dederat ei Dominus.
- 12 De multitudine scholarium, quos ad ordinem traxit.
- 13 De efficacia verborum eius.
- 14 De nobili, qui volens eum occidere, viso eo conuersus est.
- 15 De Fratre a spiritu blasphemiae tentato, quem verbi efficacia sedauit.
- 16 De febricitante sanato.
- 17 De compuncto Clerico, cui continentiam impetravit.
- 18 De animali siluestri, quod se ei domesticum præbuit.

- 19 De eo, quem consolatione sua, & Fratrum oratione retinuit.
- 20 De humilitate sua, & qualiter honorem declinauit.
-

[Col. 0725B] 21 De patientia eius.

- 22 De amissione vnius oculi, & qualiter se consolabatur.
- 23 De abstractione eius ab exterioribus, & de cingulo quod non aduertit.
- 24 De deuotione eius ad B. Mariam.
- 25 De beata Virgine. quæ ei apparuit, & quanta Ordini impetravit.
- 26 De eo, quod B. Maria ei legenti cum Angelis astitit.
- 27 Quod ipsam cum filio, Fratres signantem vidit.
- 28 Quod B. Maria ad eius consilium quamdam, quam liberauerat, misit.
- 29 Qualiter eum infirmum diabolus sub specie boni tentauit.
- 30 Qualiter ei sitienti potum mortis diabolus obtulit.
- 31 Qualiter diabolus pacem cum eo facere voluit.
- 32 Qualiter ei nocere voluit, sed non potuit.
- 33 Qualiter eum elatione decipere voluit.
- 34 Qualiter eum per odorem decipere voluerit.
- 35 De læta paupertate eius.
- 36 De vino meritis eius meliorato.
- 37 De muliere quam a veneno & peccato liberauit.
- 38 De visione, & miraculis in morte eiusdem.
- 39 De obitus eius reuelatione.
- 40 De sanctimoniali ab eo consolata.
- 41 De Priorissa sanata.
- 42 De Carmelita in suo ordine confirmato ab ipso.
- 43 De pueru matri reddito.
-

[Col. 0725C] 44 De Fratre murmurante punito, quem Dominus ad eius inuocationem sanauit.

- 45 De prudentibus responsis, & verbis.

Nos capitibus hisce in margine annotatis, more nostro Acta hæc distinguimus. In altero MS. capitula 42 solum prænotantur.

CAPVT I

Vita B. *Iordanī* in seculo. Ingressus in religionem. Eleemosynæ. Orationes .

Cap. I

[3] ^aDe sancto ^b ac venerabili Patre nostro Fratre lordano, secundo Magistro Ordinis Prædicatorum & B. Dominici dignissimo successore, aliqua cum diligenti indagine quæsita, & quæ vidimus & audiuimus ab eo, iuuante Domino disseremus ad Dei gloriam & legentium vtilitatem.

[B. *Iordanus*]

In primis igitur dicimus, eum tamquam speculum totius religionis & virtutum exemplar, vtpote virum, qui castimoniam mentis & corporis dicitur conseruasse illæsam.

[caste vixit:]

Cap. II

[4] Denique pietatem, quæ secundum Apostolum vtilis est ad omnia, non solum in Religione, sed etiam existens in seculo, sibi plenissime vendicauit. [1 Tim. 4. 8](#) Erat enim super miseros & afflictos pia gestans viscera, ita quod raro vel numquam,

[liberalis in pauperes:]

licet non multum esset pecuniosus,

[Col. 0725D] aliquis pauper sine eleemosyna ab eo recessit: sed maxime pauperi sibi primo occurrenti, etiam si non peteret, erat solitus dare.

Cap. III

[5] Semel contigit, cum ipse Theologiæ studio Parisiis operam daret, & consuetudinis suæ esset, omni nocte surgere ad matutinas, quadam nocte solenni contigit eum subito surgere,

[pauperi dat cingulum.]

cum iam ad matutinas crederet pulsatum. Vnde solam cappam super camisiam induens, & cingulo se præcingens, festinanter ad ecclesiam properauit; cui illico quidam pauper occurrit, eleemosynam petens: qui nihil inueniens quod pauperi daret, corrigiam dedit. Cum autem ad ecclesiam veniens eam clausam inuenisset, quia pulsatum, vt crediderat, nondum erat; tamdiu permansit ante fores ecclesiæ, donec ministri surgerent, & ecclesiam aperirent, quam cum intrasset,

[quo videt Christum crucifixū cinctum:]

& ante Crucifixum oraret, ipsum deuote frequenter inspiciens, vidiit eum corrigia ipsa cinctum, quam ante modicum pauperi amore dederat Crucifixi.

Cap IV

[6] Cum igitur iam Baccalaureus esset in Theologia Parisijs, receptus est ad Ordinem a beatæ memorię Fratre ^c Reginaldo, quondā Decano ^d S. Aniani Aurelianensis,

[ingreditur Ordinem:]

in cuius felici obitu visio mirabilis cuidam religioso viro apparuit.

[de eo cuiusdam visio:]

Videbat enim in claustro B. Iacobi Parisiis fontem limpidissimum subito arefieri, & post illum, rium magnum in eodem loco oriri, qui

[Col. 0725E] discurrens per vrbis plateas, & inde per totam prouinciam ^e lauabat, potabat, & lætificabat omnes, & semper crescens vsque ad mare currebat. Reuera enim post obitum B. Reginaldi dictus Pater surrexit: qui primo legendo Parisiis Fratribus Euangeliū B. Lucæ gratiosissime, & post prædicando discurrens per orbem fere viginti annis, cirra mare & vltra verbo & exemplo annuncians Iesum Christum, æstimatur plusquam mille traxisse ad Ordinem, gratus Deo, & Ecclesiæ Romanæ Prælatis deuotus, Clerum & populum inducens ad poenitentiam, & ad intrandum regnum Dei inuitans. Consummauit autem beatus Pater cursum suum cum B. ^f Clemente in mari, & ibi ad Deum viam inueniens, sine impedimento in Dei potentias introiuit.

Cap. V

[7] ^g In Religione tantum in eo pietas redundauit, vt frequenter se exueret tunicas, dum iret per vias, nudos tegens pro Christo:

[vestes suas dat pauperibus.]

super quo Fratres sæpe reprehenderunt eum, ac etiam accusauerunt aliquando in Capitulo generali. Fratribus autem intantum erat mansuetus & pius, non solum compatiendo infirmitatibus, subueniendo secundum posse ipsorum necessitatibus; sed etiam interdum parcendo humanis transgressionibus, vt plus ipsa pietatis virtute,

[mitis erga suos,]

ipsa attractionis

[Col. 0725F] mansuetudine Fratres corrigeret, quam austoritatis disciplina: quamuis & hanc secundum tempus & locum & personas habere optime ab eo, qui docet de omnibus, doctus esset. Tentatis autem & infirmis se pium & compassibilem exhibebat, præsentia sua sæpius visitando, & eos verbis & exemplis, exhortationibus & orationibus confouendo, vnde consuetudo illi erat, cum ad aliquem conuentum veniret, visitare infirmos,

[maxime ægros & tentatos:]

& ad mensam suam vocare nouitios, &, si essent aliqui tentati, inquirere, vt consolaretur eosdem.

Cap. VI

[8] Contigit autem cum semel venisset Bononiam, quod Fratres dixerunt ei de quodam nouitio turbato ad exitum. Fuerat namque adeo delicatus, & singularis vitæ in seculo, vestibus, lectis, ornamētis, cibis, potibus, lusibus, & ceteris delectationibus carnis, quod nesciebat quid esset afflictio vel angustia spiritus; nisi quantum se litterarum studio applicabat, in quo tantum profecerat,

[nouitium ante delicate educatum,]

vt in sequenti anno posset in legibus commentari. Numquam infirmatus fuerat, raro iratus: numquam nisi in Parasceue ieunauerat, rarissime a carnis, nisi in sextis feriis se abstinuerat: numquam confessus fuerat, & eorum, quæ in Ecclesia dicuntur, nihil præter Dominicam orationem sciebat. Hic quadam

Page 726

[Col. 0726A] die cum venisset ad Fratres ex mera curiositate, cum negare nesciret, Ordinem est ingressus; sed mox pœnituit, & omnia, quæ videbat & sentiebat, sibi mors altera videbantur: comedere non poterat & dormire, &, licet in seculo vix fuisset iratus, intantum succedit eum tentatio, quod Supprium, qui eum ad Ordinem traxerat, percutere voluit cum psalterio, quod tenebat. Sic igitur tentatum Magister lordanus inueniens dictum Fratrem, audiens quod ^h Theobaldus vocaretur, cœpit eum confortare,

[tentatum oratione confirmat:]

ex ipso nomine dicens, Theobaldus dicitur, quasi ad altum tendens. Et post aliqua monita ducens eum ad altare B. Nicolai, monuit eum, vt flexis genibus diceret Pater noster, nullam enim aliam orationem sciebat; ipse vero positis manibus super caput eius, cœpit toto cordis affectu Dominum deprecari, vt omnem tentationem ab eo auferret. Dum ergo orationem protenderet multum, videbatur nouitio quamdam dulcedinem in mentem eius subintrare paullatim, & quamdam cordis sentire mutationem. Eleuatis denique manibus a capite, visum est sibi, vt postea pluribus

Fratribus retulit, quod duæ manus stringentes cor eius subito eleuarentur a mente, & quod animus eius in magna tranquillitate & dulcedine remaneret. Remansit autem adeo consolatus & feruens, vt multos labores sustinuerit in Ordine, & plura

[Col. 0726B] vtiliter fecit in eodem.

Cap. VII

[9] Orationis gratia specialis Sancto huic collata fuit a Domino, quam nec cura officij circa Fratres, nec viarum laboribus variis, nec aliqua occupatione, seu sollicitudine negligebat.

[feruens & assiduus in precibus.]

Mos suus in oratione erat flexis genibus, iunctis manibus, erecto corpore, nunc etiam diu sedendo orare, intantum quod interim quis octo miliaria posset ambulare de facili, maxime autem post completorium & matutinas horas hoc faciebat. Lacrymarum autem erat multarum, propter quas oculorum infirmitatem grauem dicitur incurrisse. Item meditationibus se totum dederat, siue in domo, siue in itinere, & in eis miram dulcedinem sentiebat. Et hic erat mos eius in via, totum tempus orationibus & meditationibus dare, nisi quando vel diuinum dicebat officium vel de aliquo vtili cum sociis conferret: quod tamen certa faciebat hora, & idem facere socios hortabatur. Vnde saepe seorsum a Fratribus ibat, aliquando autem, Iesu nostra redemptio, vel Salve Regina, cum lacrymis cantabat in via alta voce, & affectus totus intrinsecus ex meditationibus & dulcedine cordis aliquoties a Fratribus oberrabat. Nullus tamen eum

[Col. 0726C] turbatum ex deuiatione itineris vidit, aut conquerentem illum, aut socios culpantem: quin potius alios turbatos interdum confortando dicebat: Nec curemus, totum est de via cœli.

[Annotata]

End Note ^a Leander ita incipit : lordanes vir sanctissimus, oppido Botergæ prouinciæ Saxonie originem duxit, quibus parentibus non produnt auctores. Constat enim, vitam, antequam religionis togam indueret, mitem, sanctissimam atque iustissimam eum egisse; ac quæ de eleemosynis habentur subiungit. De patria iam egimus .

End Note ^b Excusum , memoriali. aliud MS. memorabili.

End Note ^c De Reginaldo passim omnes historici Ordinis agunt, quorum quamplurimos citat Maluenda ad annum 1219 quo obiit,

End Note ^d Colitur S. Anianus 17 Nouemb. ad cuius honorem extat Aureliæ dicata ecclesia collegiata .

End Note ^e Alij , patriam.

End Note ^f Colitur S. Clemens Papa 23 Nouemb.

End Note ^g Alterum MS. In corde suo tantum pietatis abundauerunt viscera, vt frequenter &c.

End Note ^h Leander Thedaldum vocat, vti etiam legitur in altero MS.

CAPVT II

Miracula B. *Iordanī*: vis dicendi. Plures ad Ordinem ab eo conuersi .

Cap. VIII

[10] Qvodam tempore de Lombardia in Theutoniam vadens, venit ad villam, quæ ^a Vrsatia dicitur,

[Col. 0726D] sitam in Alpibus, habens secum duos Fratres, & vnum Clericum secularem, qui post factus est Frater, qui etiam in illo loco deserto eis necessaria ministrauit. Declinantes igitur lassi & famelici ad domum cuiusdam tabernarij nomine Vntha, rogabant, vt eis velocius mensam & necessaria præpararet. Et ille, Non, inquit, habeo panes: quia ante vos transierunt hic plures, qui ^b omnia quæ reperta sunt consumperunt, duobus exceptis panibus, quos mihi & familiæ reseruauit:

[Panes benedictione multiplicat:]

sed hæc quid sunt inter tantos? Cui illi simpliciter dixerunt: Appone, carissime, quod habes, nam multum egemus. Appositis igitur duobus illis paruis panibus, Magister Iordanus, data benedictione, cœpit illos per largas eleemosynas inter pauperes accurrentes diuidere: vnde hospes & Fratres valde turbati, dixerunt: Quid facitis, Domine? An nescitis quod panes inueniri non possunt, & etiam hospes clausit ostium, ne pauperes intrarent? Magister vero iussit quod aperiret, & iterum cœpit dare, ita vt triginta eleemosynas daret adeo magnas, vt singulis sufficere possent. Comederunt ipsi quatuor, & saturati sunt: tantumque adhuc illis superfuit, quod hospes cum vxore, & tota familia ad vnam refectionem satis habuit. Tunc hospes,

[Col. 0726E] viso miraculo, dixit: Vere hic homo sanctus est. Et noluit a dicto Clerico pretium accipere prandij, sed impleuit lagunculam eius vino, vt in via daret Fratribus ad bibendum.

Cap. IX

[11] Postea Magister versus Turingiam dirigens iter suum, in villa, quæ dicitur ^c Rugir, quemdam fabrum, qui fluxum sanguinis multis annis per nares passus fuerat,

[fluxum sanguinis sistit:]

ita quod triginta vicibus inter diem & noctem fluebat, cognita fide & deuotione ipsius, tactu manus & oratione sua in eodem instanti perfecte sanauit.

Cap. X

[12] Inde veniens in villam, quæ vocatur Vren, inuenit Sacerdotem quartana longo tempore laborantem, qui iam fere corpore defecerat, & in medicos totam substantiam suam consumpserat, sed frustra.

[quartanā pellit:]

Huic Magister, audita confessione sua, & imposita pœnitentia, suis precibus perfectam a Domino obtinuit sanitatem; sicut idem Sacerdos postea Fratribus retulit cum lacrymis, beati viri magnificans sanctitatem.

[13] Cum autem alia vice transiret Magister lordanus per Alpes, faber quidam,

[visum restituit:]

qui ex calore fornacis visum amiserat vnius oculi, ab eo cum Crucis signo tactus, statim visum plene recuperauit.

Cap. XI

[14] Circa verbum Dei & prædicandi officium dictus Pater fuit adeo gratiosus & feruens, vt vix ei similis sit inuentus.

[excellit in concionibus,]

Dederat ei Dominus quamdam prærogatiuam & gratiam specialem, non solum in prædicando,

[Col. 0726F] sed etiam familiariter colloquendo; vt, vbi cumque & cum quibuscumque esset,

[& colloquiis:]

ignitis semper abundaret eloquiis, propriis & efficacibus fulgeret exemplis; ita quod secundum conditionem cuiuscumque cilibet loqueretur, vnicuique satisfaceret, quemlibet hortaretur: vnde omnes eius eloquia sitiebant. Propter quod diabolus plurimum ei inuidens, de eo aliquando conquestus est; laborans si quo modo posset eum a prædicatione auertere, vt infra patebit.

Cap. XII

[15] Frequentabat autem ciuitates in quibus vigebat studium: vnde Quadragesimam vno anno Parisius, alio Bononiæ faciebat:

[multos ad Ordinem allicit.]

qui conuentus eo morante apum aluearia videbantur, plurimis intrantibus, & multis ex hinc ad diuersas prouincias transmissis ab eo. Vnde cum veniebat, multas faciebat fieri tunicas, habens fiduciam in Deo, quod mitteret Fratres. Multoties autem tot ex insperato intrabant, quod vix vestes

poterant inuenire. Vnde semel in festo Purificationis recepit ad Ordinem prædictus Pater viginti & vnum scholares Parisius; vbi fuit maxima effusio lacrymarum;

[vna vue XXI :]

nam Fratres ex vna parte flebant præ gaudio, & ^d seculares præ dolore, de ammissione seu separatione suorum. De numero istorum fuerunt plures, qui post rexerunt in Theologia in locis diuersis: inter quos fuit

Page 727

[Col. 0727A] etiam quidam iuuenis Theutonicus, quem Magister pluries repulerat propter nimiam iuuentutem: sed, quia tunc aliis viginti se immiscuit, durum videbatur Magistro ipsum repellere, cum circumstarent fere mille scholares: sed dixit coram omnibus subridendo; Vnus ex vobis furatur nobis Ordinem. Quod dicebat propter iuuenem illum. Vnde cum vestiarius non detulisset nisi viginti paria vestium, oportuit quod Fratres exuerent se, vnu sappa, alias tunica, alias scapulari; quia non potuit vestiarius exire de Capitulo præ multitudine scholarium, qui astabant: tamen iste Frater iunior intantum profecit, quod post fuit Lector, & optimus prædicator. Item frequenter obligauit dictus Pater suam Biblam pro solutione debitorum scholarium, qui intrabant. ^e

Cap. XIII

[16] Cum in quodam festo, facto sermone, quemdam scholarem reciperet, & plures adessent scholares; verbum ad adstantes dirigens, ait: Si aliquis vestrum ad magnum festum & conuiuum iret solus, numquid omnes socij adeo essent incuriales,

[alium vi verbi trahit:]

quod nullus vellet eum associare? Ecce videtis, carissimi, quod iste ad magnum festum auctoritate Domini inuitatus est, nonne

[Col. 0727B] eum solum permittetis abire? Mira res: verbum eius tantæ virtutis fuit, quod mox quidam scholaris, qui prius nullam voluntatem intrandi habuerat, mox in medium prosiliuit, dicens: Magister, ecce ad verbum vestrum associo in nomine Iesu Christi: & sic eum eo pariter est receptus. **[17]** Cum quidam Frater tentaretur, & supra modum doleret, quod non poterat accessum habere ad ipsum,

[tentatum sedat:]

quadam die cum veniret ad ipsum, inuenit eum dicentem Vigilias pro mortuis, & tunc Frater incepit dicere Vigilias cum ipso ex parte opposita. Et cum versiculum illum diceret, Credo videre bona Domini in terra viuentium; Magister respondit deuote, & morose: Expecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Mox igitur Frater recepit in hoc verbo, tamquam ore prophetico prolato, magnam consolationem: & qui tentatus venerat, consolatus discessit.

Cap. XIV

[18] Cum idem Magister ^f Paduæ, vbi tunc erat studium magnum instantissime prædicaret; recepit quemdam Theutonicum, genere nobilem, ætate floridum, moribus gratiosum: cuius Magister, & socij præscentes ingressum,

[alium filium vnicum & ditissimum admittit:]

tamquam ministri diaboli, quādam mulierem secundum carnem formosam cum eo in camera concluserunt, vt per voluptatem carnis mentem eius auerterent a proposito sancto: sed Christus in eo vicit, & ad Ordinem fortius traxit eum, qui etiam

[Col. 0727C] postmodum Magistrum suum ad Ordinem induxit. Denique pater eius & potens, & diues valde, alium filium non habebat. Vnde audiens ingressum filij, & ad mortem turbatus, cum multo comitatu venit in Lombardiam, proponens firmiter, vel quod filium retraheret,

[patrē summe iratum leni respōso placat.]

vel Magistrum lordanum occideret. Cum ergo quodam die cum sociis equitans, Magistrum lordanum obuium haberet; turbato vultu & rabido clamore cœpit quasi ab aliquo Fratre quærere, vbi esset Magister lordanus, nesciens illum esse. Ille vero memor Dei, qui ait Iudæis, Ego sum; læta facie & humili corde respondit: Ego sum M. lordanus. *Ioan. 18. 5* Mox ille viri sancti virtutem præsentiens ex verbo veritatis, prosiliens de equo, ad pedes eius humiliter se prostrauit: & peccatum, quod in corde suo contra eum conceperat, cum lacrymis confitendo, ait: Iam de filio meo consolatione accepta, promitto tibi quod cum isto apparatu, antequam ad terram meam redeam, vadam ultra mare in seruitium Dei, quod & fecit habens in comitatu fere centum equitaturas.

[Annotata]

End Note ^a Aliis Vrsata, Vrsacra & Vrsaria.

End Note ^b Maluenda, cum altero MS. qui omnes, qui reperti sunt.

End Note ^c MS. Ysuyer. Leander Susim. Maluenda Rugim vel Zuzium. *alterum MS.* Zugir.

End Note ^d

[Col. 0727D] MS. Scholares.

End Note ^e Thomas Cantipratanus, qui an. 1232, & 6 ante obitum B. *Iordani* in Ordinem admissus est, tum scriptis clarus, lib 2 de Apibus cap. 19 § 2 hæc refert: Memor sum loci, temporis & personæ, quod beatissimæ memoriæ Frater lordanus, Magister Ordinis Prædicatorum secundus, prædicator strenuus, iuuenes vno tempore tam paruæ litteraturæ ad Ordinem receptit Parisiis sexaginta, vt plures eorum vix possent,

[alios LX admittit, & parum literatos,]

vt audiui, cum multa repetitione ad matutinale officium vnam legere lectionem Super quo, vt dicitur, a Fratribus grauiter ad generale Capitulum accusatus, Spiritu sancto repletus, dixit: Sinite

istos, ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico vobis, quod multos & fere omnes prædicatores videbitis glorioses,

[prædicit illustres fore.]

per quos Dominus super multos lucidiores & litteratores in salutem operabitur animarum. Quod nos veridico ore dictum vsque in hodiernum diem vidimus & videmus

End Note ^f Patauium vrbs ditionis Venetæ antiquitate, magnitudine, munitione ac doctrina celebris.

CAPVT III

Varia B. *lordanī* in proximos beneficia: eius humilitas & patientia .

Cap XV

[19] Qvidam Frater fuit ^a Fauentiæ, qui ob nimiam contemplationem & inuestigationem de Deo,

[Col. 0727E] in tantum cecidit nubilum cordis, vt iam sibi videretur credere, quod Deus non esset. Contigit autem Priorem illius conuentus ire Bononiam: qui per ordinem dicti Fratris tribulationem Magistro lordanō exposuit,

[Absens tētatū blasphemia, liberat:]

& quomodo nec suasionibus, nec Scripturis, nec rationibus, Fratris poterat tentatio mitigari: cui Magister ait: Prior, dicas ei ex parte mea, quod ipse ita bene credit sicut ego. Igitur ad conuentum suum rediens Prior, statim vt verbum Magistri Fratri retulit, quasi de graui somno euigilans, atque a quadam extasi rediens, ait: Certe verum dixit Magister, ego enim optime credo quod Deus sit: statimque ab omni illa tentatione blasphemiae est liberatus ad plenum.

Cap. XVI

[20] Frater quidam in conuentu Francofordiensi, Engelbertus nomine ^b, quem Magister lordanus iuuenem receperat, infra annum nouitiatus sui grauissima febre laborauit, quem cum multum debilem & grauatum dictus Pater Magister consiperet, dixit: Si fidem, inquit, fili, haberet, ab infirmitate tua citius posses liberari.

[febricitantem sanat:]

At ille cum responderet, se firmiter credere; Magister lordanus imponens sibi manus, dixit: In nomine Domini recipias sanitatem. Et statim ab omni febre curatus est.

Cap. XVII

[21] Quidam Clericus ^c Sanctionensis diœcessis dum confiteretur semel Parisiis ipsi viro Dei, & inter cetera

[Col. 0727F] cum lacrymis conquereretur, quod continere non posset; pius Pater ex intimo cordis illi compatiens,

[continentiam Clerico obtinet:]

firma de Deo concepta fiducia, ait: Dico tibi, carissime, quod numquam amplius hæc carnis incontinentia præualebit contra te. Quod & completum sancti viri meritis, ipse Clericus multis Fratribus in confessione aperuit, gratias agens Deo.

Ca. XVIII

[22] Exiuit quodam tempore de ^d Lausana, volens videre Episcopum, qui in vicino erat: quia valde se mutuo longis temporibus diligebant. Cum ergo plures Fratres eum præcederent, & ille cum sacrista Lausanensi colloquens de Iesu, sequeretur; ecce mustela coram Fratribus pertransiuit. Igitur Fratribus subsistentibus ante antrum, quod intrauerat, Magister superueniens ait: Quid hic statis? Dicunt ei:

[aduocat mustelam sibi obedientem.]

Quia pulcherrima & candidissima bestiola intrauit in caueam istam. Tunc Magister inclinans se deorsum, ait: Egressere pulchra bestiola, vt nos te videamus. Statim illa egrediens in os foraminis, fixo intuitu respiciebat in eum. Tunc Magister substernens anterioribus pedibus eius manum suam & aliam manum, duxit frequenter super caput eius & dorsum: quod totum mustela sustinebat. Cui Magister dixit: Modo reuertere ad locum tuum; & sit benedictus Dominus Creator tuus. Statim ergo

Page 728

[Col. 0728A] in antrum bestiola se recepit. Et hæc narravit prædictus sacrista.

Cap. XIX

[23] In promotione Ordinis sicut ad attractionem scholarium erat sollicitus supra omnes, ita ad conseruationem receptorum super omnes erat discretus. Refulserat enim in eo quædam gratia specialis, vt numquam culpa sua vel negligentia perdiderit aliquem; vt cum Christo dicere possit:

Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. [Ioan. 18. 19](#) Vnde Parisius accidit, quod cum quidam nouitius tentaretur ad exitum; pius Pater omni qua poterat eum consolatione fouebat. Cumque ille nullam consolationem reciperet,

[egredi volentem ab Ordine]

sed vestes & res suas instanter repeteret; dixit ei Magister, quod in crastinum eum lincentiaret. Erat autem dies Pentecostes: & Fratres ad e Capitulum conuenerant generale. Peracta igitur processione in caputiis albis, & omnibus rite peractis, dictum Fratrem in Capitulum vocans, coram omnibus monuit dulciter, rogauit suppliciter, vt maneret: nec a tanta & tam sancta societate recederet, suadente diabolo. Tandem cum ille in nullo emolliret cor suum, misit eum in vestiarium, vt vestes suas seculares reciperet. Interim tamen ipse dixit Fratribus: Pulsemus adhuc misericordiam Dei: & flexis

[Col. 0728B] genibus, Veni Creator Spiritus, legendo dicamus. Mira res sed amanda.

[oratione detinet:]

Necdum hymnum compleuerant, & ecce iuuenis ille totus imbre lacrymarum perfusus, in medium Capituli se proiecit, petens veniam, & Ordinis perseverantiam deinceps repromittens. Aguntur Deo gratiæ, Fratribus exultantibus cum timore de Fratre ab ipsa fauce tartari liberato. Profecit postmodum in **vita** & scientia, vtilis Lector & gratiosus prædicator existens.

Cap. XX

[24] Fuit adeo humilis, quod omnem pompam seculi & honores sibi oblatos discrete & sapienter scierit declinare. Vnde cum semel adueniret Bononiam, & tota ciuitas,

[declinat honorem publicum:]

eius præscito aduentu, processionaliter sibi exire obuiam vellet; humiliiter concito gradu declinavit a turba, & gyrans ciuitatem per quasdam semitas nescienter a tergo venit ad domum Fratum Prædicatorum. Quod fuit pluribus in exemplum.

Cap. XXI

[25] Quidam fuit dæmoniacus Bononiæ, cui casu solummodo contigit in claustro Magistrum habere obuiam:

[verberati præbet alteram maxillam:]

qui eleuata manu dedit ei fortissimam alapam. Sanctus autem Pater, vt erat prædictus patientiæ & humilitatis virtute, alteram mox præbuit maxillam. Qui virtutem eius non ferens, inclinato capite, mox verecundus abscessit.

[26] In Capitulo autem generali multum elucebat eius patientia & humilitas. Nam cum proclamaretur a Diffinitoribus de quocumque,

[renuit se excusare.]

& diceretur ei, quod excusare se posset si vellet, humili voce dicebat: Numquid

[Col. 0728C] credi debet latroni se excusanti? Quo verbo multum ædificati sunt.

Cap. XXII

[27] Cum inualescente graui infirmitate ex toto visum vnius oculi perdidisset,

[agit gratias oculo amissio:]

conuocatis Fratribus in Capitulum, dixit: Fratres agite gratias Deo, quia ego iam vnum perdi di inimicum. Sed & rogate Dominum, vt alium, si sibi placet & mihi expedit, reseruare dignetur.

Ca. XXIII

[28] Sed quis posset dicere, quomodo se ab exterioribus colligens totus internus esset, vt nihil de forinsecis cogitaret vel perpenderet? Contigit enim semel, quod quædam nobilis & deuota persona corrigiam eius peteret & accepit. Cum autem vir sanctus non haberet aliam, accepit suam. Post aliquantulum autem temporis cum Magister sederet in quadam recreatione cum Fratribus, & corrigia illa, quæ fibulam habebat argenteam, ^fe fune penderet, accepit quidam Frater eam, & eleuans, ait: Quid est hoc, Magister? Numquid vos corrigiam argenteam portatis?

[ad exteriora non multum attendit:]

Ille autem eam diligentius intuens, ait: Deus meus, quis apposuit hæc? Certe ego nūquam attendi istud. Vnde ædificati Fratres perpenderunt animum eius ad interiora intentum.

[Annotata]

End Note ^a

[Col. 0728D] *Ita MS. ast excusum , in quodam conuentu vicino Bononiæ, a qua distat Fuentia circiter XX millia passuum, vrbs episcopalis Romandiola ad viam AEmiliam: in qua S. Dominicus coenobium impetravit an. 1220.*

End Note ^b Erectum esse Francofordiense coenobium anno 1240, id est, vno ante obitum B. Jordani, scribit Maluenda, sed citius id factum esse hic locus innuit. Merianus in Topographia Hassiæ & vicinarum ditionum maiori menda initium refert ad an. 1260. In eo diu adseruatum fuisse caput S. Guilielmi parentis ordinis Guilielmitarum diximus 10 Februar. pag. 485.

End Note ^c Sanctonum in Aquitania II, celebris vrbs, & sua antiquitate nobilis, media inter Pictauos & Burdegalam .

End Note ^d Lausana, seu Losana, ad lacum Lemanum, qua a Bernensibus hæreticis occupata, Sedes Episcopalis Friburgum Heluetiorum translata est .

End Note ^e Capitula generalia quotannis fiebant in Pentecoste, & alternis Parisiis.

End Note ^f Ita Maluenda. at MS. & fines penderent. aliud MS. & finis penderet. edit. Duac. & finem pendentem.

CAPVT IV

B. *Iordani* pietas erga Deiparam. Huius beneficia illi & Ordini collata .

Ca. XXIV

[29]

[Col. 0728E] Erat autem quam plurimum deuotus Dominæ nostræ B. Mariæ, vt pote quam sciebat esse sollicitam circa promotionem & custodiam Ordinis, cui eius adiutorio præerat ipse. Vnde Frater quidam curiosa deuotione explorans & auscultans ipsum ante altare Beatæ Mariæ deuotius orantem,

[Addictus B. Mariæ,]

& sæpius Aue Maria cum pondere dicentem. Quem sanctus Pater adstantem deprehendens, ait: Quis es tu? Ego sum, inquit, filius vester Bertoldus. Cui ille: Vade, fili, quiescere. Qui respondit: Non, Magister. Imo volo, quod dicatis mihi, quid modo orabatis. Tunc Sanctus cœpit exponere ei modum orationis, & specialiter ad B. Mariam, & de quinque Psalmis secundum ^a litteras huius nominis Maria, quod primo diceret,

[legit quinque psalmos:]

Aue maris stella, deinde Magnificat, Ad te Domine leuaui, Retribue, In conuertendo, & Ad te leuaui: Et in fine singulorum post Gloria Patri, Aue Maria cum genu flexione: Et adiecit: Dicam tibi exemplum, fili, per quod videre poteris, quam bonum sit ipsam Matrem Christi laudare.

Cap. XXV

[30] Frater, inquit, ^b quidam stabat ante lectum suum orans, & vidit Beatam Virginem, quibusdam comitatam puellis, per dormitorium euntem,

[refert B. Mariam cellas circumire.]

& aspergentem Fratres & cellas eorum, vna puellarum aquam benedictam portante. Pertransiuit autem cellam cuiusdam Fratris, quam non aspersit. At qui hæc videbat, cucurrit ad pedes Dominæ dicens: Obsecro, Domina,

[Col. 0728F] dic mihi quæ es tu, & quare hunc Fratrem non aspersisti? Cui illa respondit: Ego sum Mater Dei, & veni visitare hos Fratres: istum autem non aspersi, quia non est paratus. Dic ergo ei, vt se paret. Diligo quidem speciali amore Ordinem tuum: & hoc inter alia habeo gratum, quod omnia, quæ facitis & dicitis, a laude mea incipitis, & in ea finitis.

[& Ordine a peccatis custodire:]

Vnde impetraui a Filio meo, vt nullus in Ordine tuo possit diu in mortali peccato persistere; quin aut cito deprehendatur, aut cito pœnitentia, aut extra proiiciatur, ne Ordinem meum fœdet.

Ca. XXVI

[31] In nocte Circumcisionis Dominicæ cum secundum morem Parisius dictus Pater nonam legeret lectionem, quidam Frater obdormiens,

[ab ea apparente honoratur.]

vidit quamdam pulcherrimam Dominam stantem in pulpito, habentem coronam auream in capite, & pallio miri decoris ornatam, respicientem attentissime in legentem. Cum autem finiuisset lectionem, ipsa librum accipiens de manu illius, cœpit mature ante ipsum per gradus descendere, hinc inde assistentibus Sanctis; inter quos vnum aliquantulum caluus maior & dignior videbatur: qui baculum portans in manu, quasi viam faciens, ipsam Dominam præcedebat. Frater autem, qui hoc

Page 729

[Col. 0729A] manifeste viderat, æstimans ipsam esse beatam Virginem, & præcedentem Paulum vel B. Dominicum, qui circa finem vitæ fuerat caluus. Et accedens ad Magistrum, quæsiuit, an in ista lectione aliquid sensisset dulcedinis, ei quod viderat manifestans. Qui ad verba eius arridens, noluit aliquid reuelare.

Ca. XXVII

[32] Narravit idem Pater Fratribus in Capitulo, quod quidam Frater deuotus vidit: & suspicati sunt Fratres quod ipsem fecerit. In eodem conuentu Parisiensi cum in festo Purificationis Fratres inciperent Inuitatorium,

[& reliqui benedictionem accipiunt.]

Ecce venit; & quod Domina processit cum filio ad altare, vbi supra thronum paratum sedet, dulcissime respiciens Fratres, ad altare iuxta morem conuersos. Cum autem ad Gloria Patri inclinarent; ipsa apprehensa filij dextra eos & totum chorum signauit.

C. XXVIII

[33] Nobilis quædam & valde pulchra puella, relictæ a Patre suo sub custodia patrui, dum sperauit ab eo tutelam, incidit in corruptelam. Denique imprægnata, bis eo suadente procurauit aborsum,

[Peccatrix]

& imprægnata tertio, cum patruo non auderet resistere, in barathrum desperationis corruit, nulli audens facinus reuelare. Vnde cum quodam cutello tam valide se percussit, vt ipsum ventrem miserabiliter aperiret. Diri ergo

[Col. 0729B] vulneris dolore sauciata, sed Dei misericordia visitata, de peccato suo toto corde compungitur, & cum lacrymis ad Matrem misericordiæ conuersa,

[sanitatem corporis & anima impetrat, missa ad B. lordanum.]

deprecatur, vt solita pietate illi succurreret, ne saltem anima cum corpore periret. Mox beata Virgo ei adstans, & corporis conferens sanitatem, præcepit, vt se totam consilio Magistri **lordanus**, qui in breui venturus erat, submitteret. Quod ipsa deuotissime compleuit: & Ordinem Cisterciensem eo monente intrauit, & in sancto desiderio & proposito perseverans. °

[Annotata]

End Note ^a Imitatus est beatos monachos Benedictinos loscionem apud Bertinianos in vrbe Audomaropoli an. 1163 mortuum, & losbertum Dolensem in diœcesi Bituricensi anno 1186 defunctum, ex quorum auribus, oculis & ore a morte prodibant quinque rosæ referentes litteras **Maria**. de losberto agit Thomas Cantipratanus lib. 2 de Apibus cap. 29 § 15 & Saussaius in Martyrologio Gallicano ad 29 Nouembris, vbi Piis eum adscribit. At loscionem referunt idem Saussayus, Miræus in Fastis Belgicis, Molanus in Natalibus SS. Belgij ex monumentis Bertiniensium, Vincentius lib. 7 Speculi historialis cap. 116 aliiq;:

End Note ^b Maluenda arbitratur ipsummet B. lordanum absque dubio fuisse, additq; similes huic visiones ostensas S. Dominico & Fr. Raoni Romano, quas refert an. 1221 cap. 18. & an. 1233 cap. 28.

End Note ^c Monet Maluenda , hæc rite intelligenda de primæuo illo surgentis Religionis vigore, quando cuncta mirifice florebant, & rara quædam & eximia sanctimonia Ordinem ornabat, id diuinum beneficium a Diua Virgine impetratum: alioquin labente tempore in cœtibus quantumuis sanctissimis

[Col. 0729C] delitescere interdum occultos peccatores.

CAPVT V
Variæ illusiones dæmonis a B. Iordanu depulsæ.

Ca. XXIX

[34] Tentauit eum malignus semel, cum esset Parisius infirmus, sub mira fraudulentia sanctitatis. Veniens enim ad portam in forma venerandæ personæ, petuit se ad Magistrum lordanum deduci. Cum ergo deductus,

[B. Iordanū tentat diabolus sub specie viri probi,]

cum eo aliquos habuisset sermones familiares; postulauit Fratres secedere, quasi secreto locuturus cum eo. Quo facto, sic ait: Magister, tu es caput huius sanctissimi Ordinis, & quasi in te respiciunt oculi vniuersorum Fratrum. Quod si paruum vel grande quid a te exierit, ^a contra religionis feroarem, relaxationis ^b vestigium, cum humana natura prona sit ad declinandum, tu exinde pœnam reportabis a Domino, & in tanto Ordine relinques exemplum dissolutionis, & turbationis materiam. Es enim infirmus, sed non tantum, vt non possis carere culcitra, & a carnibus

[Col. 0729D] abstinere. Quod si cras vel post cras non fiat eadem dispensatio Fratri plus vel æque infirmo; fiet inde iudicium, murmur & turbatio orietur. Vnde rogo & consulo, sicut hactenus fuisti religionis exemplum in aliis; ita & te præbeas in istis. Sic ergo versipellis ille verba sua colorans, licentiatus recessit, ^c ruminando aliquid, ac si diceret psalmos. Credidit homo Dei simpliciter verbis suis, & abstinuit multis diebus ab illis. Vnde intantum creuit eius debilitas, quod vix subsistere valebat. Reuelatum est autem ei a Domino, quod, qui suggesterat illa, diabolus erat, qui eius prædicationibus inuidebat. ^d

Cap. XXX

[35] Alia vice cum transiret per ^e Bisuntium, antequam Fratres ibi domum haberent, contigit eum grauiter infirmari. Quadam ergo die cum vehementer febris æstuans, in immensum sitiret; ecce iuuenis habens mappam albam ad collum,

[oblata potione,]

lagenam vini portans in vna manu, & scyphum argenteum in alia, obtulit ei, dicens: Magister, ego porto vobis optimum potum, de quo bibatis secure: quia in nullo vobis nocebit. Qui non ignorans astutias suas, commendauit se Deo, signans se signo Crucis: statimque disparuit. Nec silenda est deuotio, quam Episcopus & alij habuerunt ad ipsum ex his, quæ viderunt in eo, ^f ex signis sanctitatis:

[Col. 0729E] ob cuius reuerentiam multa precum instantia conuentum petierunt, & obtinuerunt.

Ca. XXXI

[36] Locutus est ipsi Magistro lordano quandoque ipse diabolus per quemdam, quem obsessum tenebat, minas & maledicta congeminans, & multas querimonias de eo faciens; quod ei sua prædicatione multas animas subtrahebat, & ait: O cæce, cæce:

[oblatio fœdere mutuo.]

ego tecum feriam pactum, quod numquam Fratres tuos tentabo spiritu, vel corpore vexabo, si mihi promittas quod numquam de cetero prædicabis. Cui vir sanctus respondit: Absit, quod ^g fœdus ineam cum morte, & pactum faciam cum inferno.

Ca. XXXII

[37] Quidam alius Frater fuit Bononiæ dæmoniacus, qui adeo fortis erat, quod funes omnes rumpebat & vincula, & frequenter in Fratres sæuiens,

[conādo per energumenum nocere,]

eis multas molestias inferebat. Semel ergo toto corpore ligatus, & resupinus in lecto, dixit Magistro adstanti: O cæce, si te modo haberem, confringerem te totum. Quem Magister statim iubens dissolui, dixit: Ecce solitus es, fac quidquid potes. Ille vero non potuit se mouere. Tunc iterum ait: O si nasum tuum tenerem inter dentes. Sanctus autem inclinans se, ad os eius posuit nasum suum. Quem ipse in nullo potuit lädere, sed labiis contingens nasum Sancti, leni tactu lambebat. ^h

C. XXXIII

[38] Alia vice cum Fratres omnes vituperaret, adueniente Magistro lordano mira quadam reuerentia assurgens,

[inducendo ad inanem gloriam,]

laudauit eum temptationis gratia, de prædicatione singulari, de religionis feroce & omni perfectione

[Col. 0729F] commendans, vt per hæc posset eum in elationem deducere. Sed vir sanctus maligni astutias non ignorans, ipsum sua humilitate confudit.

C. XXXIV

[39] Cum esset beatus Pater Bononiæ, tantis eum tentator perfudit odoribus, vt ipse manus suas absconderet, ne aliis redolerent, veritus eam,

[deceptione odoris:]

de qua nondum sibi conscius erat, prodere sanctitatem. Si gestaret calicem, tanta de ipso prodibat odoris suauitas, vt totus conuentus immensitatem dulcedinis miraretur. Sed non est passus Spiritus veritatis, maligni diu durare fallacias: nam quadam die, cum celebraturus Missam, Psalmū, ludica Domine nocētes me, expugna &c. pro propulsandis temptationibus efficaciter diceret, & illum ruminaret versum, Omnia ossa mea dicent, mira deuotione perfusus est; vt reuera viderentur ei omnes medullæ ossium Dei spiritu irrigari. [Psal. 34](#) Tunc igitur rogauit Dominum, vt si diabolicis odor dictus ageretur insidiis, ei sua gratia reuelaret. Mox per Spiritum cognouit, hoc antiqui hostis esse figmentum, vt eum præcipitaret per inanem gloriam. Et ex tunc cessauit a manibus eius ille deceptorius odor. Hæc in suo libello

Page 730

[Col. 0730A] Magister descriptis: & nouitijs Parisiis me præsente narrauit. ⁱ

[Annotata]

End Note ^a Edit. Duac. circa.

End Note ^b MS. fastigium.

End Note ^c Idem MS. murmurando.

End Note ^d Alia dæmonis illusione æger prope Alpes vexatus est, vt infra ex Cantipratano referemus.

End Note ^e Bisuntium, Vesuntium & Vesontio, vrbs libera & Imperialis in Comitatu Burgundiæ, Sede Archiepiscopali nobilis.

End Note ^f Ita MS. aliud & Maluenda. edit. Duac. cū altero MS. insigniis.

End Note ^g De fœdere Bononiæ cum dæmone inito & soluto infra ex Cantipratano agemus.

End Note ^h De B. Jordano Romæ a simili insano grauiter vulnerato, & vino ablutionis in Missa sanato, agit infra idē Cantipratanus.

End Note ⁱ Aliud MS. pariter. Cantipratanus refert similem odoris deceptionem .

CAPVT VI
Necessaria B. Iordanu suppeditata: eius obitus: gloria reuelata.

Ca. XXXV

[40] Semel cum iret dictus Pater cum multis Fratribus

[Col. 0730B] ad Capitulum generale Parisius, quadam die dispersit Fratres per villam, pro pane pro prandio querebantur: mandans ut ad quemdam fontem conuenirent. Qui cum reportassent modicum panis grossi,

[Lætus in paupertate.]

quod vix quatuor suffecisset; prorumpens sanctus in vocem exultationis & laudis, verbo & exemplo Fratres hortabatur ad idem. Quod cum mulier quædam e vicino vidisset, ^a male ædificata, dixit: Cum vos sitis religiosi, ita mane & tam iocunde lætamini? Intelligens autem ab eis quod propter defectum panis sic exultabant in Domino,

[accipit necessaria:]

pro quo pauperes erant; cucurrit ad domum, & attulit eis panem & vinum & caseum in abundantia, se eorum orationibus commendans.

C. XXXVI

[41] Quædam Domina in Francia deuota Deo, Fratres recipiebat libenter; licet viro eius admodum displiceret.

[excipitur hospitio.]

Cum igitur receperisset Magistrum Iordanum cum sociis, & iam essent in prandio; contigit superuenire maritum eius: & dissimulato corde posuit se ad mensam. Vbi autem comperit illud bonum vinum Fratribus propinatum, magis dolens clamauit ministro dicens: Vade cito, & porta de vino meliori, quod est in velete. Hic autem ironice ista dixit, quia illud erat corruptum, ut perturbaret vxorem. Iuit nuntius:

[vino in melius mutato:]

attulit, propinavit. Quo gustato, inuentum est vinum in summa excellentia bonum. Iste ergo in famulum turbatus, rabida voce dixit: Quare non

[Col. 0730C] apportasti de illo dolio, quod dixeram tibi. Qui respondit se pro certo attulisse. Secundo remittitur, & idem inuenitur. Tunc cum furia surgens, iuit ipsem; hausit, gustauit, & optimum inuenit, & ex corrupto vino in bonum conuerso. Tunc ipse in melius conuerfus, factus est amator Fratrum, & vxorem inuicans ad dandas eleemosynas.

C. XXXVII

[42] Mulier quædam propter grauum peccatorum frequentem reciduationem lapsa in desperationem, vt se occideret,

[liberat mulierem a veneno.]

venenosam araneam deglutivit. Morte autem appropinquante compuncta, cœpit cum lacrymis Matrem misericordiæ inuocare. Audiuit itaque vocem dicentem sibi: Frater Iordanus Prædicator, ordinis Magister venturus est modo, ipsum voca, dicens, te esse a me missam ad eum, & confitere illi, & salua eris. Venit Sanctus, & confessa est peccatrix mulier: & cum vomitu peccatorum araneam & venenum euomuit, & Deo gratias agens, plenissime sanata est.

Cap. XXXVIII

[43] Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo ^b sexto, Idibus Februarij idem Magister Iordanus, qui in Terram sanctam iuerat, ad visitanda loca sancta & Fratres, obiit, vt patet in litteris infra scriptis.

Venerabilibus & dilectis Priori & conuentui Fratrum Prædicatorum Parisiensium, Fratres Godefridus & Reginaldus, Domini Papæ Pœnitentiarij, salutem

[Col. 0730D] & Spiritus sancti consolationem.

Noueritis quod inundante maris sæuitia, ac suo impotu ^c propellente nauem ad littus Galileæ: in qua dulcis Pater noster Magister Iordanus erat,

[Submergitur:]

cum duobus Fratribus aliis: ipse & viginti nouem personæ aliæ mortis vinculis liberati sunt ab hoc seculo nequam. Super hoc tamen carissimi, non paueat cor ^d nostrum: quia nobis orphanis pius Pater & Deus totius consolationis remedium, & post tempestatem prouidit tranquillum. Nam dum iacerent corpora inhumata, vt testantur,

[lumine cælesti innotescit:]

qui de illo naufragio euaserunt, & qui eos tradiderunt propriis manibus sepulturæ, luminaria de cælo super eos singulis noctibus effulserunt; sed & crucis multæ super eos visæ sunt a multis. Ad quod miraculum loci incolæ confluentes tanti odoris fragrantiam hauserunt, vt iuxta testimonium eorum, qui post visa miracula ^e eos tres sepelierunt, vsque post decem dies odor nimius ab eorum ^f manibus non recessit. Sed & per circuitum sepulturæ eiusdem odoris suauitas latius emanauit;

[sepelitur:]

vsquequo Fratres de ^g Achon venerunt cum ^h barcha, & eos in suam ecclesiam transtulerunt. Vbi dictus Pater quiescit, & multa multis beneficia præstat.

[claret miraculis.]

Per omnia benedictus Deus. Amen.

C. XXXIX

[44]

[Col. 0730E] In conuentu i Lemouicensi, qui fuit de primis Ordinis, erat Frater quidam, qui diligebat multo affectu Magistrum lordanum. Qui diu antequam circa Alpes innotuisset transitus eius, stabat semel in ecclesia orans post matutinas:

[Reuelantur submersio cuidam Fratri Lemouecensi,]

cumque Dominus rore cæli illustrasset cor eius, subito obdormiuit; cum prius orasset pro Magistro deute, quem esse audiuerat vltra mare. Et ecce videbatur ei, quod esset in ripa cuiusdam aquæ, latæ admodum, etiam profundæ: in qua videbat mortuos multos, quasi de aqua recenter eductos. Et cum hoc considerans miraretur, videbat ipsum Magistrum lordanum, quasi ab inferioribus aquæ subito emergentem, fixum in cruce, iocundiorem solito, extensis manibus & pedibus, quemadmodum solet B. Andreas depingi, alacriter sine aliquo adiutorio ascendentem in cælum. Quæ cum prædictus Frater aspiceret & stuperet; beatus Pater illi blande subridens, ait: Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos. Quo dicto, eleuatis & confixis in cruce manibus, cum ipsa cruce ferebatur in cælum. Quo disparente, videbat dictus Frater sigillum eius iacere in terra. Cum igitur post sibi innotuisset obitus eius & modus, quid portendebat visio, plenius intellexit.

Cap. XL

[45] Eo tempore fuit in Brabantiae partibus, in ^k Acquiria monasterio Cisterciensis Ordinis, sanctimonialis quædam, virgo grandæua, nomine ^l Lutgardis, per

[Col. 0730F] quā Dominus multa miracula fecit in **vita** & post obitum eius. Hæc beato Patri lordanu valde nota extitit & deuota. Hæc cum quadraginta annis in sanctimonialis habitu Domino deseruisset, iamque præ senio & lacrymis non videret, in ipsa vigilia Natiuitatis Christi beatus Pater apparuit ei in hunc modum. Cum enim ipsa ab hora diei prima vsque ad sextam orasset, nec solitam deuotionem sentiret, tædere cœpit, & in hæc verba prorupit: Bone Domine, quid hæc patior. Certe si aliquem amicum in cælo vel in terra,

[in cælo obtenta gloria S. Lutgardi,]

qui pro me nunc oraret, haberem, talem cordis duritiam non sentirem. Hæc illa cum lacrymis dicente, subito ante mentis eius oculos Frater quidam tam lucidus & tam gloriosus apparuit, quod eum præ claritatis magnitudine non agnouit. Vnde stupescens dixit. Quis es Domine? Et ille. Ego sum Frater lordanus, quondam Magister Ordinis Prædicatorum. Ego de hoc seculo ad gloriam transiui, & inter Apostolorum, & Prophetarum choros sublimatus sum, & missus ad te, vt te in festo isto gratissimo consolarer. Tu ergo iam secura esto: quia in proximo es vt a Deo coroneris. Psalmum vero, Deus misereatur nostri, cū collecta de sancto Spiritu, quem me rogante pro Ordine nostro dicere promisisti, vsque in finem tuum dicere non omittas. Post

[Col. 0731A] hæc disparuit, eam in tanta consolatione, quantam numquam habuerat,

[& alteri ex Ordine.]

derelinquens. Hæc eadem fere, etsi modo alio, dictus venerabilis Pater cuidam Fratri Ordinis ^m reuelauit, & quod in ordine sublimium ⁿ Prælatorum in cælo locatus esset, honorabili schemate demonstrauit. Hæc autem in **vita** ipsius B. Lutgardis per ordinem sunt descripta.

[Annotata]

End Note ^a Alterum MS. multum.

End Note ^b Ita MS. & edit. Duac. Maluenda septimo; quem tum fuisse supra diximus.

End Note ^c Excusum , propellente ad littus galeam.

End Note ^d Exc. vestrum.

End Note ^e Alterum MS. eos etiam.

End Note ^f Idem naribus.

End Note ^g Achon, siue Ptolemais, vrbs maritima, de qua supra actum .

End Note ^h Barcha, aliis barca, pro minuto nauigio: qua voce vsi Matthæus Parisius, Abbo alij; multi: de ea agit Vossius lib. 2. de Vitiis sermonis cap. 3.

End Note ⁱ Lemouicense secundum Ordinis monasterium cœpit extrui anno 1217, aut, vt alij 1218, quo S. Dominicus misit Petrum Scillanum, seu Cellanum, quem ferunt post S. Dominicum, Ordinem Prædicatorum primum amplexum & professum esse.

End Note ^k Aquiria, vulgo Ayviers, in Brabantia VVallonica, distat Bruxellis quatuor nostratibus leucis, duabus Niuellis .

*End Note ^l Colitur 16 Iunij: De eius **Vita** tres librosscripsit Thomas Canripratanus, qui illi familiarissimus fuit. & lib. 2 de Apibus cap. 57 § 53 asserit se ab illa audiuisse, quæ hic ex lib. 3 Vitæ lib. 2. referuntur.*

End Note ^m Hæc ita narrat Cantipratanus dicto lib. 2 de Apibus cap. 57 §

[Col. 0731B] 53. Frater quidam Ordinis Prædicatorum electus & bonus, Arnoldus nomine, ex partibus Treuerensibus natus, & Prior Fratrum in oppido Wibuicensi, dictum beatum virum Magistrum Iordanum, vt ipsem retulit mihi, statim defunctum vidi inter choros Apostolorum & Prophetarum. Angelorum manibus ferri. *De eodem Arnoldo refert § 54 eum vidisse in pectore Christi librum vitæ, in quo inuenit nomen suum scriptum aureis litteris.*

End Note n MS. Prædicatorum. ast Cantipratanus Apostolorum & Prophetarum.

CAPVT VII

B. *Iordanī* miracula post mortem.

Cap. XLI

[46] ^aDictus Pater sororem excellentis vitæ instituit Priorissam ^b in monasterio quodam sororum. Quæ post multos annos, cum laudabiliter administrasset in illo officio, incidit in paralysim; ita vt de lecto se mouere non posset sine subsidio ministrantium sibi. Vnde frequenter & instantissime petit ab illo officio ^c absolu: sed conuentu reclamante numquam obtinere potuit; eo quod vtilior videretur ad regimen sic etiam languida, quam quæcumque alia. Accidit autem quadam die post obitum dicti Magistri *Iordanī*,

[B. *Iordano* inuocato sanatur paralytica:]

cum nonnulla miracula dicerentur ad inuocationem nominis eius facta; vt prandente conuentu, facereta duabus sororibus in gestatorio se portari in ecclesiam ante altare: & emissis sororibus ^d deuote rogauit

[Col. 0731C] B. Iordanum, quem firmiter credebat cum Christo glorificatum; vt impetraret ei a Domino, quatenus vel cito moreretur, vt sic sorores amplius non vexaret, vel vt impetrare posset a Prælatis ordinis beneficiū absolutionis ab officio, quod exequi non valebat: vel vt daretur sibi virtus & sanitas, per quam valeret idonea fieri ad ipsum officium exequendum: statimque sensit sibi quamdam virtutem infundi diuinitus: & cœpit primo vnum pedem, & post aliud ponere extra gestatorium: demum surrexit & cœpit deambulare per chorūm, quasi tentans si vere sanata esset. Interim audiuit nolam refectorij pulsari, surgente a prandio conuentu: & processit obuiam conuentui ad ecclesiam venienti cantando, Miserere mei Deus. Quam cum vidissent Sorores iuniores, primæ processionaliter de refectorio exeentes, mirabantur si vere Priorissa esset: quæ contra consuetudinem sic ambularet erecta. Cantorissa autem cum antiquioribus ultimo exiens de refectorio, cum vidisset deambulare recte, quam paullo ante reliquerat in gestatorio, obmissō, Miserere mei Deus, incepit alta voce, Te Deum laudamus. Et conuentu altissime

[Col. 0731D] cantante, audientes vicini clamorem inconsuetum, & timentes insultum ab aliquibus malignis fieri in Sorores; venerunt cum armis, parati defendere illas. Sed cum rem ex ordine ab ipsa Priorissa per fenestram audirent, Deum pariter laudauerunt.

Ca. XLII

[47] Frater quidam de Ordine Carmelitarum, ad recedendum paratus; auditio quod Frater Iordanus submersus fuisset, magis ac magis turbatus, hæc apud se dicebat: Vanus est omnis,

qui seruit Deo. Numquid iste bonus homo non fuit qui sic periit? aut Deus non bene remunerat eos qui seruiunt sibi?

[eo apparēte nutans in vocatione firmatur:]

Cum igitur ad mane recedendum firmasset animum; ipsa nocte apparuit ei persona pulcherrima cum luce immensa circuiens eum. Tunc tremens & stupens orabat, dicens: Domine Iesu Christe adiuua me: & ostende mihi quid hoc sit. Et statim respondit: Non turberis, Frater carissime, quia ego sum Frater Iordanus, de quo hæsitabas: Et saluus erit omnis, qui vsque in finem seruit Domino Iesu Christo. Et disparuit, ipso in omnibus consolato. Hoc ipse Frater, & Prior eiusdem ordinis Frater Simon, vir religiosus & verax, nostris Fratribus retulerunt.

Ca. XLIII

[48] Fuit in Praga metropoli Bohemiæ quidam ciuis nomine Cunsicus, cognomento Albus: qui habuit

[Col. 0731E] vxorem nomine Elizabeth. Quæ partui propinqua frequenter fœtum iam animatum senserat in vtero: vt solent sentire grauidæ mulieres: sed tribus diebus antequam pareret non sensit: pro quo multum timebat, & in se turbabatur. Cum autem nocte partus grauiter laboraret;

[voto illi facto]

deuouit infantulum, si masculus esset S. Iordanus Magistro Ordinis Fratrum Prædicatorum; affirmans impossibile eum non esse Sanctum, cuius vitam & doctrinam tam gloriosam sæpius audierat: si autem fæmina esset, deuouit S. Elizabeth, quæ de nouo fuerat tunc canonizata. Nato igitur infante, quæsiuit ab obstetricibus vtrum masculus esset vel femina. Responderunt masculum esse, sed mortuum. Tunc mater cœpit inconsolabiliter eiulare, incessanter patrocinium inuocans B. Iordanus: vt sibi redderet filium suum. Cumque hæc ageret pene a noctis medio, faciebat semper aspici ad infantem. Tandem, vt experientur certius si viueret, tempore hyemis posuerunt puerum in aquam frigidissimam: & nulla signa vitæ perceperunt in eo. Consolabantur autem Dominam ij qui astabant: sed illa tamquam mater perseverabat B. Iordanus auxilium implorando. Et dum dies esset, fecit iterum aspici puerum: & ecce inuentus est viuus.

[infās mortuus reuiuiscit.]

Vnde gratias agens Deo, & B. Iordanus, imposuit filio nomen Iordanus in miraculi testimonium, quod per ipsum fecerat Deus. Et dum signum daretur ad Primam

[Col. 0731F] in domo Fratrum Prædicatorum, misit pro Fratribus. Et ad illud signum & miraculum examinandum, missi sunt Frater Tymmo Polonus, tunc Lector Pragensis, & Frater Simon quondam Archidiaconus, tunc Supprior, postmodum Prior domus eiusdem. Qui venientes ad locum, inuenerunt vniuersa, sicut in narratione prætacta sunt: cunctis qui aderant sic se habere attestantibus vere. **[49]**

[alia miracula.]

Ceterum de miraculis, quæ in loco mortis suæ, & quæ in multis partibus euenerunt & quæ specialiter in Achon, vbi sanctum corpus eius allatum est, facta sunt, describere nolumus ad præsens.

[50] Iniunctum fuit cuidam Fratri qui scientiae & auctoritatis alicuius videbatur, quod iret ad remotum conuentum & incognitum sibi. Quod ipse moleste accipiens, ibat tota die de iniuncta sibi pœnitentia murmurando, dicens frequenter: Quid feci,

[cōtra obedientiam murmurans.]

aut quid merui ego? Quare hoc iniunctum est mihi? Quis consuluit? Quis procurauit hoc mihi? Cum igitur quadam die taliter audiente socio murmuraret; subito percussit eum Dominus, cui nihil occultum est: & ad terram prostratus, omnibus fere sensibus est priuatus, Inflata erat facies, & os inflatum: & lingua quam maxime ingrossata,

[apoplexia punitus,]

Page 732

[Col. 0732A] grossata, ipsum os ita videbatur implere; vt merito crederetur a Deo propter peccata murmuris percussus. Frater autem, qui socius eius erat, hoc videns, multo timore ac dolore perterritus, timens confusionem suam & Ordinis, quid faceret, penitus ignorabat. Tali autem perturbatione sollicito venit in mentem, Deum per merita Magistri **Iordani**, qui tunc obserat, humiliter inuocare. Ait ergo: Magister Iordanus, pie Pater: tu qui hunc Ordinem exaltasti, succurre nunc mihi filio tuo: ne Ordo confundatur in facto Fratris huius. Domine Deus,

[inuocato B Iordanus]

per preces & merita serui tui Magistri **Iordani** libera nos a periculo isto. Dehinc conuersus ad Fratrem, alta voce clamauit, dicens: Frater recogita, quod propter peccata tua & murmur, quod quotidie replicabas, hoc contigit tibi. Vnde fac votum Deo, & Magistro Iordanus in corde tuo, quod si te liberauerit, cessabis a murmure: & quod obedientiam tuam in pace complebis.

Infirmus ergo ad verbum eius compunctus: & ad se aliquantulum rediens, annuit nutu, nam voce non poterat, se ita facturum. Miranda Dei vltio, sed plus dignatio admiranda. Statim enim vt Frater fecit votum in corde suo,

[sanatur.]

& ad Magistrum Iordanum preces deuote direxit: mox recepit plene beneficium sanitatis, obedientiam non solum patienter sed hilariter

[Col. 0732B] complens. Hoc vterque eorum etiam in diuersis locis positi Fratri Humberto Magistro Ordinis concorditer retulerunt.

[Annotata]

End Note ^a Idem miraculum videtur referri a Cantipratano lib. 1 Apum cap. 24 § 2, nulla B. Iordanī facta mentione.

End Note ^b Cantipr. in prouincia Sueviae.

End Note ^c Idem , Priorem Turicensem Fratrum Prædicatorum, qui Sororibus præerat, rogat cum lacrymis se absoluī.

End Note ^d Idem , eleuato vultu ad Corpus Christi in pyxide cum lacrymis dixit:

End Note ^e Alterum MS. Tunsicus. Leander & Maluenda , Cursitius.

End Note ^f A Gregorio IX anno Pontificatus 9 Chr. 1235. Colitur 19 Nou.

End Note ^g Ita MSS. At Maluenda , Timotheus. Edit. Duac. Tympolonus.

CAPVT VIII Dicta & responsa B. *Iordanī*.

Cap. XLV

[51] Laicus quidam interrogauit Magistrum Iordanum, dicens: Magister valet tantum Pater noster in ore nostro,

[Oratio laici æque ac Clerici grata Deo.]

qui sumus laici & ignoramus virtutem eius; sicut in ore Clericorum qui sciunt quid dicunt?
Respondit Magister: Tantum valet, sicut lapis

[Col. 0732C] pretiosus, tantum valet in manu illius, qui ignorat virtutem eius. **[52]** Venit aliquando Magister Iordanus ad Fredericum Imperatorem ^a: & cum sedissent simul, & diu tacuisserent; tandem ait Magister: Domine, ego discurro per multas prouincias pro officio meo; vnde miror pro quo a me non quæratis rumores. Cui Imperator respondit: Ego nuntios meos habeo in omnibus curiis & prouinciis: & omnia scio quæ fiunt per mundum. Cui Magister ait: Dominus Iesus Christus omnia nouerat, sicut Deus, & tamen a discipulis quærebatur: Quem dicunt homines esse filium hominis? Certe vos homo estis:

[Monito Frederico // Imperatori data.]

& nescitis multa, quæ dicuntur de vobis, quæ vos scire plurimum expediret. Dicitur autem de vobis, quod Ecclesias grauatis, sententias contemnitis, auguriis intenditis, Iudæis & Saracenis nimis fauetis, Consiliariis veris non acquiescatis, Vicarium Christi & B. Petri successorem, qui Pater Christianorum & Dominus noster spiritualis est, non honoratis: & certe hæc personam vestram non decent. Et ita curialiter ingressus eam de multis correxit.

[53]

[Regula Prædicatorum.]

Cum ab eo quidam quæreret quam regulam haberet; respondit: Regula Fratrum Prædicatorum hæc est: Honeste viuere, discere, & docere, quæ tria petit Dauid a Deo dicens: Bonitatem, & disciplinam & scientiam doce me. [Psal. 118. 66](#)

[54]

[Col. 0732D] Secularis quidam dixit eidem Magistro: Magister, quid est quod nos seculares quandoque dicimus inter nos; quod,

[Regiones puniuntur]

postquam Fratres vestri & Minores venerunt, numquam fuit ita bonum tempus in terra, hec terra portauit ita bene, sicut ante? Magister respondit: Possem hoc negare si vellem, & ostendere contrarium. Sed esto, monstro vobis quod hoc iustum est. Postquam enim nos venimus in mundum, docuimus mundum, cognoscere peccata multa, quæ ante non cognoscebat, & ab illis nolunt cauere.

[ob peccatis]

Vnde sunt illis grauiora: quia peccatum scienter commissum grauius est. Igitur propter peccata hominum grauiora, Deus immittit terræ sterilitatem, sicut dicit Propheta: Posuit terram fructiferam in salsuginem a malitia habitantium in ea.

[scienter facta.]

[Psal. 106. 34](#) Et ideo iuste immittit Deus modo sterilitates & tempestates. Et plus dico vobis: Nisi corrigatis vos, ex quo scitis, quid debetis facere, & a quo debetis cauere; adhuc peius faciet vobis. Quia ipsem, qui non mentitur, dicit in Euangeliō: Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis. [Luc. 12. 47](#)^[55] Tempore quo Frater ^b Ioannes Vincentinus Bononiæ prædicans fructum mirabilem fecit, & totam fere Lombardiam ^c miraculorum, & prædicationis gratia

[Col. 0732E] commouit, & ad se videndum & audiendum trahebat; venerunt nuntij Bononiensium, quos vocant Ambasatores, ^d Magistri & litterati ad Magistrum exeuntem ad eos cum Diffinitoribus & aliis Fratribus, qui conuenerant ad Capitulum generale. Petierunt igitur ex parte totius ciuitatis & communitatis, quod Fratrem Ioannem prædictum non remouerent de illa ciuitate: inter multas rationes hanc prætendentes efficacem, & multum ponderantes, quod seminauerat in ciuitate verbum Dei gratiose, & fructus qui sperabatur sequuturus de eius prædicatione, totus posset in eius absentia perdi. Magister autem commendata eorum deuotione & benevolentia, quam habebant ad Ordinem,

[Prædicatores debet variis euangelizaro verbum Dei.]

respondit in hunc modum: Boni Domini, illa ratio, quam vos allegatis, vt Frater Ioannes deberet hic morari, quia seminauit vobis verbum Dei, & posset perire fructus si recederet, non multum ^e conturbet vos. Non enim est consuetudo seminitoris camporum, quod cum seminauerit agrum vnum, apportet ibi lectum suum, & iaceat ibi quousque videat, quomodo semina fructificant: imo potius commendat semen & campum Deo, & vadit ad seminandum in alium campum. Ita fortassis expediret, quod Frater Ioannes iret ad seminandum verbum Dei alibi, sicut de Saluatore scriptum est: Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare

[Col. 0732F] verbum Dei. [Luc 4. 43](#) Verumtamen propter amorem, quem habemus ad ciuitatem, habebimus consilium super petitione vestra a sociis nostris Diffinitoribus: & faciemus tantū pro vobis quod debeat vobis sufficere. **[56]** Cum esset in quadam abbatia Cistertiensi Magister lordanus, circumdederunt eum multi de monachis, & dixerunt ei: Magister quomodo poterit durare Ordo vester, qui non habetis, vnde viuatis, nisi eleemosynas? Et scitis bene, quod, licet modo sit vobis mundus deuotus, tamen scriptum est in Euangelio, quod refrigerescet caritas multorum, & tunc non habebitis eleemosynas, & deficietis. [Matth. 24. 12.](#)

[Religio in paupertate melius subsistit.]

Respondit Magister cum omni mansuetudine: Ostendo vobis rationabiliter ex verbis vestris, quod prius deficiet Ordo vester quam noster. Respiciatis illud in Euāgelio, & inuenietis quod dicitur. Refrigerescet caritas multorum, scriptum est de tempore illo, quando abundabit iniquitas: & erunt persecutioes intolerabiles. Tunc autem bene scitis, quod persecutores & tyranni illi abundantes iniquitate, auferent vobis bona vestra temporalia: & tunc vos, qui non consueustis ire de loco ad locum, & querere eleemosynas, necessario deficietis. Fratres autē nostri tunc dispergentur, & facient fructū maiorem, sicut Apostoli, qui dispersi fuerunt tempore persecutionis. Nec ita terrebuntur: imo ibunt de loco ad locum duo

Page 733

[Col. 0733A] & duo, & quærerent victimum suum, sicut consueti fuerant. Et plus dico vobis, quod illi, qui vobis auferent, dabunt illis libenter, si recipere voluerint. Quia multoties iam experti sumus, quod raptiores & prædones cum magno gaudio volunt nobis dare frequenter de illis, quæ auferunt aliis, si vellemus recipere.

[57] Cum Magister lordanus semel in via dedisset vnam de tunicis suis cuidam ribaldo,

[Eleemosyna data mendico emprobo est pium opus.]

qui simulabat se pauperem & infirmum; accepit & portauit eam ad tabernam. Frater autem, qui hæc vidit, dixit Magistro: Ecce Magister, quam bene dedistis tunicam vestram: nam † ribaldus eam portauit ad tabernam. Respondit Magister: Sic feci, quia credidi quod multum indigeret tamquam qui pauper & infirmus videbatur, & erat valde pium ei succurrere: adhuc iudico melius amisisse tunicam, quam pietatem.

[58] Dum Papa Gregorius commisisset inquisitionem quorumdam monasteriorum quibusdam Fratribus, & ipsi,

[In depositione Abbatum.]

non seruato iuris ordine, depositissent quosdam Abbates, quia inuenerant eos malos; & essent de hoc Papa & Cardinales turbati intantum, vt vellent reuocare quod fecerant Fratres; superueniens Magister & volens eos placare, dixit: Pater sancte, mihi accidit

[Col. 0733B] frequenter, quod cum vellem declinare ad aliquam abbatiam Cisterciensium, inueni interdum viam communem, quæ dicit ad portam, ita longam & circularem, quod tedium erat mihi & sociis tantum circuire, cum abbatia esset prope oculos meos. Et tunc aliquando iui per

prata, & sic citius perueni ad portam. Si tūc mihi dixisset portarius: Frater, per quam viam venistis?

[*Via iuris prolixa.*]

& ego dicerem: Veni per prata illa; & ipse diceret: Non venistis per viam rectam, reuertamini retro, & veniatis per viam vsitatam, alioquin non intrabitis; nonne nimia esset duritia? Sic Pater sancte, licet Fratres non iuerint per viam iuris, quæ forte videbatur eis nimis prolixa ad depositionem istam, cum bene fuerint digni deponi huiusmodi Abbates, sicut potestis de facile scire, si volueritis inquirere; sustineatis, si placet, quod factum est, per quamcumque viam ad hoc deuentum sit. [59] Dum semel quæreretur ab eo, cur ḡ Artistæ frequenter Ordinem intrant,

[*Philosophi præ Theologis & Iuristis facilius ingrediūtur monasteria.*]

& Theologi & Decretistæ tardius, respondit: Facilius inebriantur bono vino rustici, qui aquam consueuerunt bibere, quam nobiles & ciues, qui vina fortia non reputant, quia in vsu habent. Artistæ quidem tota hebdomada aquam Aristotelis & aliorum Philosophorum bibunt. Vnde cum in sermone diei Dominicæ vel festi, verba Christi vel suorum

[**Col. 0733C**] feruentium hauriunt; statim inebriati vino Spiritus sancti, capiuntur: & non tantum sua, sed & seipso Deo donant. Isti autem Theologi frequenter audierunt talia: & ideo contingit eis sicut rustico sacristæ, qui ex frequenti transitu ante altare irreuerenter se habet, & ad illud dorsum vertit frequenter, extraneis inclinantibus reuerenter. [60] Cum venisset aliquando ad ^h aliquorum Episcoporum conuentum, & quærerent ab eo, quomodo Episcopi, qui de tantis Ordinibus assumebantur,

[*Our monachi in Episcopos electi, minus ædificant.*]

se in Episcopatibus suis minus bene habebant; Hoc, inquit, vobis imputate: quamdiu enim de nostro fuerunt Ordine, nos bene correximus eos: sed hæc dissolutio, quam eis imponitis, in Ordine i vestro accedit eis. Præterea ego fui multis annis in Ordine isto: nec recordor, quod a me aut alio Prælato, vel Capitulo generali vel prouinciali Dominus Papa, vel aliquis ^k Prælatus, vel aliquod Capitulum cathedrale, petierit dari vnum bonum Episcopum: sed ipsi vel amore parentum, vel alia minus spirituali caussa, eligunt sibi ad placitum: vnde non est quod nobis imputetis. Item alias dixit quod non esset mirum, si Fratres nostri in Episcopatu minus bene se habebant, quam alij religiosi: quia magis contra suam professionem faciunt, quam alij religiosi: cum nos nec in speciali, nec in generali possessiones habeamus.

[**Col. 0733D**] Vnde ipsi cum ad propria veniunt, magis quam alij religiosi faciunt contra suam religionem: quasi qui hæc saltem in generali habere possunt. [61] Cum in quodam Capitulo generali propter grauem infirmitatem non posset conuentui prædicare; tandem rogatus, vt aliquod consolatorium verbum eis diceret; ingressus Capitulum, ait:

[*Quomodo repleri possint Spiritu Sancto.*]

Fratres hac septimana frequenter dicimus: Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Sciatis autem quod plenum non impletur ab aliquo, sed potius effunditur quod infunditur super plenum. Sancti igitur Apostoli repleti sunt Spiritu sancto, quia euacuati fuerunt a suo spiritu. Et hoc etiā in Psalmo cantamus: Auferes spiritum eorum & deficient, a se scilicet, vt proficient in te, & in puluerem suum reuertentur: & sic emitte Spiritum tuum & creabuntur. quasi diceret Dauid: Si tua gratia voluntatem propriam & sensum singularem & priuatum a se amorem euacuauerint, tuo sancto Spiritu replebuntur. **Psal. 103. 29 & 30.** Quo verbo Fratres multum ædificati sunt.

[62] Semel monens Fratres, vt leuitates cauerent, ait: Mihi & veris Prælatis accedit, sicut pastori,

[Fratres alij instar ouium.]

qui magis grauatur custodia vnius hirci, quam centum ouium: sic magis vnuis insolens grauat Prælatum, & turbat conuentum; quam alij Fratres ducenti, qui sicut oues Domini Pastorem sequuntur, & sibilum eius intelligunt,

[Col. 0733E] nec socios relinquunt; sed simul vadunt, stant, accubant, comedunt, bibunt, capite inclinato herbas colligunt, in omnibus fructuose, in paucis tædiose. Sed aliqui, vt hirci turbantes pastorem & gregem, discurrent, perstrepunt, in socios capita impingunt, ad alta saliunt,

[alij instar hircorum.]

viam non tenent, sata aliorum lædunt: nec virga nec pastoris clamore cohinentur, & ad vltimum breuem caudam, id est, curtam patientiam habent: & ideo quandoque fœda sua ostendunt. Pro Deo, carissimi, fugite huiusmodi mores hircinos, & estote vt oues Dei. [63] Semel monens Fratres, vt' otiosa cauerent, ait: Videtis, carissimi, quod imperceptibiliter, quantumcumque alte incipiatur Psalmus, paullatim vox cantantium cadit & frangitur:

[Verba otiosa quomodo euitentur.]

sic quantumcumque bona verba incipiamus dicere, vel ad alterutrum conferre, paullatim ex humana corruptione ad vana prolabimur. Sed qui bonus est, & hoc percipit, debet facere, sicut cantor in choro, qui in locis competentibus eleuat vocem. Sic bonus vir casum otiosorum verborum aduertens, debet interponere aliqua verba & exempla grata: vt interruptat

[Col. 0733F] nocua. Eodem modo cum ex carnis corruptione paullatim non solum a verbis, sed etiam a solito religionis feroce tepescimus, nos inuicem excitare debemus. [64] Fiebat mentio semel coram eodem Magistro de quodam Fratre viro magno & bono,

[Horror episcopatus.]

quod deberet fieri Episcopus. At ille: Magis vellem videre eum portari in feretro ad tumulum, quam in cathedra exaltari ad episcopatum.

[65] Quidam nobilis de Theutonia, dominus secundum mundum matris Magistri eiusdem, abstulit vaccam matri illi.

[Ob vaccam furto ablatam]

Ipse autem Magister quemdam filium eiusdem nobilis traxit ad Ordinem. Cum ergo quidā ex parte prædicti nobilis conquererentur multum ipsi Magistro, quod filium illum abstulisset Domino illi; respondit in quodam solatio ad placandum eos in hūc modum: Vos, inquit,

[excusat filium admissum in Ordinem.]

scitis secundum consuetudinem Theutoniæ, quod si quis fecisset iniuriam matri alicuius, & filius vindicaret in eum; nullus in Theutonia deberet hoc habere pro malo. Cum ergo Dominus vester & meus fecerit iniuriam matri meæ, auferendo sibi vaccam; quomodo debetis vos, & ipse pro malo habere, si ego abstuli sibi vitulum.

[66] Cum idem Magister inuitatus fuisset a Templariis vltra mare, quod faceret eis ^m collationem aliquam,

[Concionatur Gallicē vix lingua peritus:]

sed nesciret nisi valde parum de Gallico, & ipsi essent Gallici; exposuit se libenter ad dicendum. Cum autem esset in quadam platea, & ipsi ante ipsum; contigit,

Page 734

[Col. 0734A] quod ante oculos suos habebat quemdam murum altum quasi ad staturam hominis. Volens autem eis in principio dare intelligere, quod licet nesciret de Gallico nisi parum, tamen confidebat, quod ex vno verbo modico intelligerent vnam magnam ⁿ scientiam, dixit sic: Si vnum, inquit, esset asinus ultra murum illum, & eleuaret caput, ita quod videremus vnam auriculam eius; iam omnes intelligeremus, quod ibi esset vnum asinus totus: ita quod per modicam partem intelligeremus totum. Ita accidit quandoque, quod si in vna sciētia magna dicatur vnum verbum modicum, per illud intelligitur tota scientia, ^o licet alia sint Theutonica.

[67] Cum idem Magister duceret secum multos nouitios, quos receperat in quodam loco, vbi non erat conuentus; accidit quod in quodam hospitio cum Cōpletorium cum eis & aliis suis diceret, vnum cœpit ridere: & alij hoc videntes similiter fortiter inceperunt ridere. Quidam autem de sociis Magistri incepit eos per signa compescere: at illi magis ac magis ridebant. Tunc dimisso Completorio,

[risum nouitiis permittens, corrigit:]

& dicto benedicite, incepit Magister dicere illi socio suo: Frater quis fecit vos Magistrum nouitorum nostrorum? Quid pertinet ad vos eos corrigere? Et conuersus ad nouitios dixit: Carissimi

[Col. 0734B] ridete fortiter, & non dimittatis propter Fratrem istum: ego do vobis licentiam. Et vere debetis gaudere & ridere, quia exiustis de carcere diaboli, & fracta sunt dura vincula illius, quibus multis annis tenuit vos ligatos. Ridete ergo carissimi, ridete. At illi in his verbis consolati sunt in animo: & post ridere dissoluto non potuerunt. **[68]** Cum Magister idem prædicaret semel Parisius de commorantibus diu in peccato, & occurreret ei, quod peccatum vocabatur in Scriptura porta inferni, dixit: Si quis veniens hodie ad domum istam, videret vnum scholarem sedentem in porta,

[peccatum portam inferni vocat.]

similiter cras, similiter multis diebus, nonne de facili cogitaret, iste scholaris intrabit ordinem? **Isa. 38. 10** Quomodo ergo non est credibile quod illi intrent infernum, qui tam diu sedent ad portam inferni?

[69] Dixit idem Magister: Sicut cæmentarius, qui indirectum murum reparare satagit, quosdam lapides extrahit absconditos, & repercutit prominentes: sic in emissione Fratrum Prælatum oportet facere:

[qualis adhibenda disciplina.]

vt videlicet illos, qui nimis latitare cupiunt, ad actionem dirigat, & qui nimis exponunt se, intus remanere faciat.

[70] Idem Magister in prædicatione solebat eumdem sermonem aliquoties reiterare. Quod cum obiiceretur ei, respondit:

[eadem repetit:]

Si aliquas bonas collegisset herbas, & illas ad faciendum pulmentum studiose

[Col. 0734C] præparasset; essetne conueniens illas abiicere, & pro colligendis aliis laborare? [71] Idem Magister dixit: Si studuisse in alia facultate tantum,

[omnibus omnia factus:]

vt in hoc verbo Apostoli, Omnibus omnia factus sum, Magister iam in illa potueram extitisse. Semper enim studui qualiter me aliis conformarem, & me non deformarem, nunc videlicet me conformando militi, nunc religioso, nunc clerico, nunc tentato. [1 Cor. 9. 22](#)

[72]

[apostatam recipit.]

Idem Magister quemdam apostatam ad ordinem recipere nitebatur: & cum de hoc consensum Fratum quæreret in Capitulo, & vnum non consentiret; dixit Magister: Etsi hic modo peccata multa fecit, forsitan adiiciet multo plura. Sed cum hoc ille se assereret non curare, Magister respondit: Certe, Frater, si vos vnam pro isto fudissetis guttam sanguinis, sicut Christus pro isto sanguinem suum dedit, aliter curaretis. Tunc ille ad se reuersus, & confusus, in terram se proiecit, & libenter consensit.

[73] Quidam Frater timorem habuit de eleemosynis, quas quotidie comedebat: quia per orationes tot beneficiis respondere difficile erat ei. Cum ergo Magistro de materia hac loqueretur, ille dubitanti sic respondit: Cum spiritualia sint impreiabilia respectu

[Col. 0734D] temporalium; constat illa in infinitum his præcellere, & esse incomparabiliter meliora. Vnde sciatis certissime,

[Quæle pretium piæ orationis:]

si pro omnibus eleemosynis, quas comedistis, vnum Pater noster deuote dicitis, plenarie persoluitis. [74] Cum quidam Frater, procuratoris gerens officium, pro absolutione supplicaret instanter; respondit Magister: Officiis, vt frequenter, ista quatuor sunt annexa, scilicet negligentia, impatientia, labor, & meritum. A primis igitur duobus absoluo vos:

[Procuratori præstanta & omittenda.]

reliqua vero duo in remissionem peccatorum iniungo.

[75] Quidam Frater accusauit alium in Capitulo, quod manum tetigerat mulieris. Qui ait: Mulier bona fuit. Tunc ille qui præsidebat, respondit:

[Tactus manus mulieris malus:]

Pluua bona est, & terra bona est, lutum tamen ex horum commixtione generatur. Sic & manus viri licet bona sit, similiter & mulieris, ex coniunctione tamen illarum cogitatio nonnumquam vel affectio mala consurgit.

[76]

[Oratio miscendæ lectione:]

Quæsiuit a Magistro lordano quidam Frater, vtrum vtilius foret orationibus insistere, aut Scripturarum se studiis occupare. Qui ait: Quid est melius, semper bibere vel semper comedere? Et vtique, sicut competit ista alternatim facere, sic & ista.

[77] Rogauit illum quidam Frater, vt instrueret, quid ad orandum sibi melius expediret. Qui respondit:

[e deuotione non eligenda.]

Bone Frater, quidquid tibi maioremdeuotionem

[Col. 0734E] excitat, huic obsistere non omittas. Nam ad orandum Deum salubrius tibi erit, quod affectum tuum fructuosius irrigat.

[Annotata]

End Note ^a Hic est Fridericus II, sub quo Italia in duas scissa est partes, quarum vni, quæ Pontifici studebat, Guelforum nomen inditum est, Gibellinorum alteri, quæ Fridericum sequebatur. De eo sæpius agimus, vti X Februarij ad Vitam B. Arnaldi Catanæi Abbatis, & alibi.

End Note ^b Ioannes Vincentinus, alias Vincentius, & Vincij cognominatus, in MS. Bisuntinus, etiam de Bononia dictus, quod diutius in ea vrbe prædicarit Habitum Ordinis de manu S. Dominici accepit anno 1220.

End Note ^c Mortuos suscitasse 7, vel, vt alij, 10, & 200 alia miracula patrasse, tradunt auctores apud Maluendam ad an 1233 cap. 14.

End Note ^d Ita MS. asi excusum, Magni & litterati ad Magistrum existentem tunc in Capitulo.

End Note ^e Excusum, mouit nos.

End Note ^f Ribaldus pro homine vili & nebulone accipitur, vulgo Germanis & Belgis Rabaut. Matthæus Parisius ad an. 1251.

[Ribaldus]

Confluebant ad ipsorum consortium fures, exules, fugitiui, excommunicati, quos omnes ribaldo斯 Francia vulgariter consueuit appellare.

End Note ^g Artistæ, Doctores artium liberalium ,

[Artistæ.]

vt Decretistæ Magistri decretorum iuris Canonici. Ita Cæsarius lib. II Miracul. cap. 46. ait , Decretistam mortuum esse.

End Note ^h Edit. Duac. quorumdam magnorum.

End Note ⁱ MS nostro non accidit.

End Note ^k Edit Duac. Legatis.

End Note ^l

[Col. 0734F] MS . leuitates.

End Note ^m MS. consolationem aliquam in colloquio.

End Note ⁿ *Edit.* Duac. sententiam.

End Note ^o *Hæc desunt in MS.*

CAPVT IX
Analecta ex aliis libris de Vitis Fratrum.

LIB. I

CAP. VII

[78] Sanctæ memoriæ Frater lordanus, secundus huius Ordinis Magister scripsit in libello, quem De initio ordinis edidit,

[Antiphona, *Salve Regina.*]

quod sibi retulit vir quidam sanctus & verus, se vidisse frequenter, cum Fratres ^a cantarent, Eia ergo Aduocata nostra, ipsam B. Mariam, ante Filium procidentem, & pro ipsius Ordinis dilatatione & conseruatione deuotissime supplicantem.

LIB. IV

CAP. I

[79] Temporibus duorum Patrum Dominici & **Iordani** tantus fuit feruor Ordinis, quod nullus sufficit enarrare ... In quodam ^b Capitulo generali Parisiis,

[Feruor in Ordine]

cum incumberet aliquos Fratres mitti ad prouinciam Terræ sanctæ, dixit Magister lordanus Fratribus in ipso Capitulo,

[eundi in Terram sanctam.]

quod si qui parati essent bono animo illuc ire, quod hoc significant ei. Vix verbum finierat, & ecce vix fuit aliquis in illa multitudine, quin faceret statim veniam cum multitudine lacrymarum & fletu,

Page 735

[Col. 0735A] petens se mitti ad illam terram, Saluatoris sanguine consecratam.

Cap. IV

[82] Fratrem quemdam decorum corpore, & admodum simplicem mulier quædam, ferens speciem sanctitatis, multo tempore concupiuit. Quem miris quibusdam & coloratis deceptionibus instantum seduxit; vt vsque ad noctis crepusculi secreta silentia dulciter colloquendo pertraheret:

[Ob castitatē Fratris, repulsa mulierculā,]

eique tunc concupiscentiæ suæ venena occultans, expectabat infelix, vt opus aggredetur nefarium, quem iam concupiscentia captum esse credebat, eo solum quod in tali loco & tempore solus cum sola femina loqueretur. Sed mentita est iniquitas sibi: nam Frater licet fatue, tamen innocenter sedens, nihil immunditiæ cogitabat. Vbi ergo sensit affectum illius miseræ, subito quasi damula de loco, & manibus se trahentis exiliit, & aufugit. Cum autem illud esset omnino celatum, contigit sanctæ memoriæ Magistrum lordanum,

[B. lordanus energumenum liberat:]

qui tunc temporis illic aderat, ad quemdam a diabolo vexatum fuisse deductum, vt oraret pro eo. Cum igitur vir sanctus dæmonem adiuraret, vt a Dei creatura exiret, respondit se non exiturum, nisi Frater veniret qui in igne extitit nec fuit combustus. Cum autem hoc sæpius dixisset, nullum specificans, mirabantur qui audiebant, nescientes

[Col. 0735B] quid facerent, vnde secundo & tertio dictum Magistrum, quem sciebant virum sanctum & iustum, ad visitandum obsecsum, venire rogauerunt. Contigit autem, cum Magister tertia vice venisset, vt dictus Frater socius eius esset: statimque in eius ingressu, dæmon exiuit clamans: Frater autem cum audisset a Magistro præcedentia, aduertens quæ facta fuerant; Magistro retulit in secreto, & cum lacrymis vniuersa.

Cap. X

[83] Tempore quo beatæ memoriæ Magister Iordanus prædicabat Vercellis, ^c vbi etiam tunc erat in paucis diebus, tredecim magnos Clericos & litteratos traxit ad Ordinem. Erat autem ibi Magister Walterus Theutonicus Regens in artibus,

[*Vercellis admittit plures in Ordinem,*]

& physicæ peritissimus, qui ad legendum magno stipendio conductus erat. Hic audiens Magistrum Iordanum venisse, ait sociis & scholaribus suis: Cauete ne ad prædicationem ipsius eatis, neque aliquando verba eius audiatis, quia sicut meretrix polit sermones suos, vt capiat homines. Mira res,

[*etiam qui alios abstrahebat,*]

sed a Domino facta: quia qui alios retrahebat, ab eo ipse primus captus est in sermone illius, imo verius Dei. Et cum sensualitas misera vellet eum ab Ordinis ingressu retrahere, claudens vtramque manum, pugnis quasi calcaribus percutiebat latera sua, dicens sibi: Tu illuc ibis, vere tu illuc ibis. Venit ergo & receptus est, & fuit multis exemplum magnæ salutis.

[84]

[*Col. 0735C*] Fuit etiam ibi alius magnus Clericus & in iure peritus, qui audiens ingressum quorundam scholarium amicorum suorum,

[*alium iurisperitum*]

oblitus suorum librorum, quos ante se tenebat apertos, quos etiam non clausit, obesus etiam omnium quæ in domo sua habebat, solus quasi amens factus cursim festinabat ad Fratres. Cum autem obuiasset cuidam sibi noto, & quæreret quomodo sic solus currebat, non sistens gradum, hoc solum respondit: Ego vado ad Deum. Veniens autem ad locum, vbi se receperant Fratres, quia nondum habebant ibi domum, & inueniens Magistum Iordanum & Fratres congregatos, projecto quodam mantello serico, prostrauit se in medium quasi ebrius, nihil aliud dicens, nisi hoc:

[*dicentem, se Dei esse:*]

Ego sum Dei. Ego autem sum Dei. Magister Iordanus nulla alia facta examinatione vel responsione præmissa, hoc solum respondit. Ex quo estis Dei, & nos consignamus vos ei: & surgens, eum induit. Hæc autem duo narravit, qui interfuit illis, & hæc vidit & audivit, & vnuus ex illis fuit.

Cap. XI

[85]

[*Parisiis Ioannem de Columna nepotem Cardinalis:*]

Frater Ioannes de Columna Romanus, dum iuuenculus a ^d patruo suo Cardinali missus fuisset Parisius, & a sanctæ memoriæ Iordanu induceretur, quod Ordinem intraret; a quodam magno

Clerico retrahebatur. Cumque ei promisisset, quod non intraret priusquam

[Col. 0735D] ei super ea re iterum loqueretur, quadam die iuit ad locum, vbi ille manebat, vt scilicet illi suum denuntiaret ingressum, & hoc etiam de licentia Magistri **Iordani**, qui dicebat, quod confidebat in Deo, quod non peruerteret eum. Cumque eum diutius quæsisset, tandem inuenit eum defunctum, in medium chori cuiusdam Abbatiae Parisiensis delatum, vnde ex subita eius morte ipse magis accensus, quod conceperat, deuote compleuit. Hic autem tantæ constantiæ fuit & feruoris in suo nouitiatu, quod cum fuisset data audientia Magistro suo, vt ei loqueretur, coram Fratribus multis adeo confudit eum in suis responsis, licet multum iuuenis esset: quod ille stupefactus cum suis abscessit....

Cap. XII

[86] Narravit bonæ memoriæ Magister Ioardanus de quodam iuueni nobili pulchro & delicato, quod cum intrasset ordinem Prædicatorum suadebatur sibi a quodam magno & litterato, & amico parentum suorum, vt Ordinem exiret, & dicebat:

[alterius constantiæ laudat:]

Melius est vt modo exeas sine peccato & nota, quam postea. Tu tenerrimus es, tam durum Ordinem non poteris tolerare. Cui iuuenis ille respondit: Caussam quam vos mihi allegatis ad exitum, hanc ego scio fuisse motiuam ad meum ingressum. Cogitaui enim apud me dicens: Si

[Col. 0735E] nullam asperitatem sustinere possum in seculo, quomodo poenas illas intolerabiles & inenarrabiles sufferre potero in inferno? Ideo decreui istam in præsenti sustinere asperitatem, vt in alio seculo non patiar æternam. Sed quandoquidem cum pauperibus hic pauper sim, diues ero in regno cœlorum. **[87] e** Vir famæ eximiæ & sanctitatis magnæ, qui excellens fuit in physica & Prior Prouincialis in Theutonia Frater Albertus Theutonicus, Magister in Theologia, cum adhuc inuenculus studeret Paduæ, ex admonitionibus Fratrum, & maxime ex prædicationibus Magistri **Iordani**, habebat sæpe voluntatem intrandi Ordinem, sed non plenam. Auunculus enim eius, qui ibi erat, contradicebat ei. Vnde & iurare ipsum compulit, ne infra certum tempus iret ad domum Fratrum. Post quod transactum, iuuenis frequenter ad Fratres ibat, firmabatque propositum, sed timor, ne exiret, faciebat eum multum vacillare. Quadam autem nocte vidit in somnis, quod intrasset Ordinem,

[Quas B. Albertus Magnus patiebatur tentationes circa ingressum Ordinis,]

& quod post modicum exiisset. Euigilans ergo mirabiliter est gauisus, eo quod non intrauerat, in animo suo dicens: Nunc video, quod illud, quod timebam, eueniret mihi, si vnquam intrarem. Contigit autem eadem die, cum interesset sermoni Magistri **Iordani**, qui inter cetera loquens de temptationibus diaboli, quomodo subtiliter decipit aliquos,

[Col. 0735F] ait: Sunt aliqui, qui proponunt relinquere mundum, & Ordinem intrare;

[concionas B. Iordanus,]

sed diabolus facit eis impressiones in somnis, quod intrent & post exeant, & equitantes vel in rubeis vestibus, vel variis vel cum dilectis inueniunt se, vt scilicet sic eis timorem incutiat intrandi, quasi non possent perseuerare: vel si iam intrauerint, vt terreat, atque conturbet eos.

[eumq; alloquio cōfirmans indicat.]

Tunc iuuenis miratus vehementer, post sermonem accessit ad Magistrum lordanum, & ait: Magister, quis reuelauit vobis cor meum? & exposuit ei omnes cogitationes suas prædictas, & somnium. ^f Dixitque ei Magister lordanus: Firma de Deo percepta fiducia, fili, promitto tibi, quod si intraueris, numquam de cetero exhibis, replicans ei pluries hoc verbum. Ille vero ad verba eius toto corde conuersus, omnem moram rescindens, Ordinem introiuit. Hæc autem omnia ipse Frater Albertus narrans dixit, quod ad omnes quas habuit in Ordine tentationes, siue a diabolo, siue a mundo, recordatio promissionis illius sancti viri erat ei remedium singulare.

Cap. XV

[88] Fratrem quemdam, nomine Martinum virum valde honestum & litteratū per tres annos continuos insecurus est diabolus, apparenſ ei sub formis diuersis, vt eum terneret: quem cum Magister lordanus secum Romam duxisset, & quodam sero in Biblia sua, quæ

Page 736

[Col. 0736A] pulchra erat, legeret; venit diabolus in specie monachelli nigerrimi saltans coram eo, modo ad vnam partem, modo ad aliam, & dicebat; Idolum, Idolum. Cuius dicti caussam cum Frater quæreret, respondit: Cur tu bibliam istam pro Deo tibi fecisti?

[diabolum Fratri insidiantem compescit:]

Cui cum Frater diceret, Cur me tantum persequeris? respondit: Cur? totus meus es. & abiit. Tunc Frater admodum timidus, licet de nullo peccato sibi conscius esset, venit ad Magistrum exponens ei omnia quæ diabolus fecerat, & dixerat illi, & addidit: Non video, quid mihi possit obiicere nisi bibliam istam, vnde resigno eam vobis: facite de ea quidquid placuerit vobis. Magister ergo lordanus tamquam a Deo illuminatus, intelligens astutias diaboli, qui per hunc modum volebat impedire studium Fratris, & animarum profectum, ait: Et ego in nomine Domini eam tibi concedo, vt proficias in ea. Ex tunc igitur cessauit diabolus ab infestatione Fratris propter suam humilitatem & Patris orationem.

[89] Quidam Frater dæmoniacus fuit Bononiæ tempore Magistri **Iordani**, qui Fratribus multas vexationes & iniurias inferens tam in die, quam in nocte, multa falsa seminabat, & vera aliquando dicere cogebatur.

[Col. 0736B] Exponebat etiam aliquando Scripturas, quamuis prius illarum inscius esset. Cum ergo quadam die Fratres in scholis essent, & nullo modo audiri de Infirmitaria possent; nec aliquis de adstantibus sciret, quid ibi dicebatur, ait:

[interrogat quid lucri ex tētatione habeat:]

Modo disputant Caputiati, an Christus sit caput Ecclesiæ, cum magna indignatione & vultu turbulentissimo sæpius hæc repetens, quasi multum de hoc ipse doleret. Huic cum Magister diceret, Miser quid tentas Fratres, & animas pertrahis ad peccatum, cum tibi maiorem poenam ex

hoc accumules? respondit: Non facio quod peccatum placeat mihi, imo fœtet, sed propter lucrum facio hoc, sicut Magister Olricus qui mundat cloacas Parisius, non quia fœtor eum grauet, sed omnia sustinet propter lucrum.

Cap. XXV

[90] De quodam Fratre iuuene. Theutonico honesto & admodum deuoto, narrauit sanctæ memoriae Magister lordanus,

[**Frater sētit tormēta a Christo tolerata.**]

quod Christus Dominus in die Cœnæ eum communicauit, & in die Parasceues passionem Christi totam in corpore suo sensit: eratque mirum, quod dicebatur illi, vt se pararet ad illam, vel illam passionem, & neminem inferentem videbat, sed tamen singulas sentiebat.

Lib. V

Cap. II

[91] Scripsit beatæ memoriae Magister lordanus in suo libello hoc modo: Cum intrasset Parisius Ordinem

[**Col. 0736C**] Frater Euerardus, Archidiaconus Lingonensis, vir multarum virtutum, opere strenuus, consilio prouidus; quanto fuerat magis notus in seculo, tanto plures assumptæ paupertatis ædificauit exemplo. ⁹ Hic mecum in Lombardiam vadens, vt videret Magistrum Dominicum, apud Lausanam infirmatus est,

[**B. lordanus socium itineris sācte mori lætatur.**]

vbi quandoque in Episcopum electus fuerat, sed renuerat acceptare. Cum autem medicos tristes mussitare videret, dixit: Cur celatur a me hic exitus vitæ? ego mori non timeo: celetur ab eis mors, quibus est amara mortis memoria: nec ei timendum est, qui, etsi domus eius terrestris destruitur, domum non manu factam æternam in cælis felici commutatione consolatus expectat. Vitam igitur hanc ærumnosam festiuo quidem sed felici fine compleuit. Felicis autem defunctionis eius hoc mihi indicium fuit, quod in exitu spiritus eius, cum me anxiari crederem, quia tam bonum socium & tam vtilem Ordini amittebam, e contrario subito sum iucunda hilaritate & deuotione perfusus, vt minime flendum eum, qui ad gaudium transierat, testimonio conscientiæ commonerer. [92]

[**Frater addictus Christo crucifixo,**]

In conuentu Parisiensi fuit quidam Frater Lombardus, nomine Iacobus; qui sibi & doctrinæ attendens, ad tantam perfectionem venerat, quod in corde & in ore nihil nisi Dominum Iesum Christum portabat crucifixum, nihil infelicius dicens, quam talem Dominum non amare. Hunc, quia

acceptus erat Deo, miserabilis

[Col. 0736D] probauit tentatio. Inuasit enim eum grauis infirmitas, per quam ipse sibi innotuit; & qui sibi pro Christo mortem posse tolerare videbatur, ad tantam deuenit impatientiam, quod nihil sibi fieri posset quod sibi placeret. Nullus ei cibus,

[æger, impatiens.]

nullus ei lectus acceptabilis erat: ipsum nomen Domini nostri Iesu Christi, quod sibi consueuerat esse dulcissimum, iam audire non poterat. Imo dicebat, quod Dominus ei illuserat, qui sibi seruientem tam violenta infirmitate oppresserat, vt neque corporis neque sui spiritus compos esset. Posthec oratibus pro eo Fratribus coepit paulatim patientia in eo nutrita, coepitque iam in illa tribulatione silere, & inde ad tantam venit patientiam, vt iam,

[dein summe patiēs.]

quæ prius nolebat tangere, libenter ederet, & omnia sibi diceret bona valde. Verum quia diurna infirmitas carnem fere totam consumperat, nec in lecto volui poterat, nisi aliorum manibus verteretur, mirum omnibus videbatur, quomodo anima in tam consumpto corpore remanebat. Idcirco benignus Iesus non est oblitus pauperis sui, sed effudit in abundantia oleum gaudij sui in visceribus affliti: & coeperunt exultare ossa humiliata intantum, quod mortem expectabat cum desiderio, &

[Col. 0736E] ineffabili lætitia replebatur, cum ei aliquis de huiusmodi loquebatur. Quod cum sanctæ memoriæ Magister Iordanus, qui tunc aduenerat, cognouisset, statim ad eum vadens, sedensque in lecto in quo ipse iacebat, ait:

[coram B. Iordanu sancte moritur.]

Noli timere, carissime, quia in proximo es iturus ad Christum. Ad hoc ille Dei adiutorio fultus, subito surrexit & erecto brachio super collum Magistri, clamauit: Educ, bone Iesu, de carcere animam meam, vt confitear nomini tuo. Et in lectum recidens obdormiuit in Domino. Si igitur aliquos impatientes in infirmitate videmus, non iudicemus, neque indignemur: fortasse enim dispensatio Dei est, qui facit ventis pondus, & misericordia Dei est æterna, quod ira Dei videtur.

Cap. IV

[93] De duobus Fratribus & iuuenibus & valde feruentibus qui se speciali affectione diligebant, narravit Magister Iordanus,

[alius a morte ei apparet:]

quod unus post obitum suum apparuit alteri sole splendidior, & ait: Frater, sicut audiuimus & frequenter contulimus, sic vidi in ciuitate Dei nostri. Et hoc dicto disparuit.

[Annotata]

End Note ^a Solebat tēpore S. Dominici Antiphona, Salve Regina, post Completorium sine cantu dici, vt scribunt Theodericus lib. 2 Vitæ S. Dominici cap. 13, S. Antoninus & alij.

[Antiphona Salve Regina.]

At sub B. Iordanio consuetudinem solenniter eam cantandi cœptam esse Bononiæ tradit Olmeda: vtq; id per totum Ordinem fieret statutum esse Parisiis in Capitulo generali anno 1224 annotat Michaël Pius lib. 2

[Col. 0736F] Virorum illustrium pag. 346. Quæ pluribus disputat Maluenda ad an. 1237 cap. 14.

End Note ^b Habitum anno 1222, & missum Brocardum cum sociis tradunt Antonius Senensis in Chronico, Bzouius, aliiq; ac tum Hierosolymis, Damasci, Bethlehami, Nazarethi & alibi erectos fuisse conuentus.

End Note ^c Edit. Duac. nam tunc studium ibi erat.

End Note ^d Hic est Ioannes Columna an. 1216 ab Honorio III creatus Cardinalis, mortuus circa an. 1245.

*End Note ^e Edit. Duac. Frater quidam famæ eximiæ & excellentis status atque scientiæ, suppresso nomine. Est hic B. Albertus Magnus, postea factus Episcopus Ratisponensis: in cuius **Vita**, 15 Nouemb. danda, hæc cap. 2 referuntur.*

End Note ^f Reliqua hactenus edita multum abbreviata.

End Note ^g Anno 1221.